

DE BELLO CIVILI CAESARIANO.

QUAESTIONES CAESARIANAE.

PARS I.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD MAGISTERII HONORES

AB AMPLISSIMO

ORDINE HISTORICORUM ET PHILOLOGORUM DORPATENSIUM

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET A. D. IV. NONAS MARTIAS A. MDCCCLXXXIII.

PUBLICE DEFENDET

OSCAR BASINER.

DORPATI LIVONORUM.

TYPIS SCHNAKENBURGII.

MDCCCLXXXIII.

5) Senatus consultorum illorum, quae post Libonis causam anno p. Chr. n. 16 de mathematicis magisque facta esse Tacitus (Ann. II, 32) et Cassius Dio (XLVII, 15) tradunt, alterum anno 16, alterum anno 17 adsignandum esse statuo auctore Ulpiano (lib. VII de officio proconsulis, sub titulo de mathematicis et vaticinatoribus; cf. Huschke, Iurispr. anteiust p. 674)

6) Falso Nissenus (in Sybelii „Histor. Zeitschr." 1881 p. 84 n. 1) iudicat post Caesaris litteras per Curionem Romam perlatas alteras easque leniores ab illo missas atque a senatu circiter Nonas Ianuarias acceptas esse.

7) Thucyd. I, 23, 1: Τῶν δὲ πρότερον ἔργων μέγιστον ἐπράχθη τὸ Μηδικόν, καὶ τοῦτο ὅμως δυεῖν ναυμαχίαιν καὶ πεζομαχίαιν ταχεῖαν τὴν κρίσιν ἔσχεν. Post πεζομαχίαιν addendum esse puto: ἴσαιν.

8) Thucyd. II, 43, 2: ἀλγεινοτέρα γὰρ ἀνδρί γε φρόνημα ἔχοντι ἡ ἐν τῷ μετὰ τοῦ μαλακισθῆναι κάκωσις ἢ ὁ μετὰ ῥώμης καὶ κοινῆς ἐλπίδος ἅμα γιγνόμενος ἀναίσθητος θάνατος. Fortasse legendum est: ἡ ἐντὸς μ. τ. μ. κάκωσις.

9) Thucyd. III, 12, 1: ὅ τε τοῖς ἄλλοις μάλιστα εὔνοια πίστιν βεβαιοῖ, ἡμῖν τοῦτο ὁ φόβος ἐχυρὸν παρεῖχεν κ. τ. λ. Omnia recte se habere existimo.

10) Thucyd. IV, 126, 2 (Brasidas ad Lacedaemonios): οἵ γε μηδὲ ἀπὸ πολιτειῶν τοιούτων ἥκετε, ἐν αἷς οὐ πολλοὶ ὀλίγων ἄρχουσιν, ἀλλὰ πλειόνων μᾶλλον ἐλάσσους κ. τ. λ. Aut delendum censeo οὐ aut mutandum in οἱ.

DE BELLO CIVILI CAESARIANO.

QUAESTIONES CAESARIANAE.

PARS I.

SCRIPSIT

OSCAR BASINER.

MOSQUAE.
IN AEDIBUS I. DEUBNERI.
MDCCCLXXXIII.

MOSQUAE: TYPIS E. LIESSNERI ET I. ROMAHNI.

QUAESTIONES CAESARIANAE.

PARS I.



Habent sua fata libelli. Atque meo quidem contigit, ut, cum iam ante hos quattuor fere annos scriptus esset, nunc demum a me emitti posset. Quodsi quis pro Horatii illo „nonumque prematur in annum“ putet, tantum temporis spatium opusculo meo non posse non fuisse magno fructui, aliter atque ipse vellem, res evenit. Tot enim tantisque curis atque negotiis per omne illud quadriennium distinebar, ut, cum certae causae diutius opellam nostram delitescere non sinerent, paene non mutatus libellus evulgandus fuerit. Neque tamen plane despero ex eo, cuius primam hanc partem, si placebit, mox sequentur reliquae, etiam nunc — post Nisseni commentationes acutissime scriptas — edito aliquantulum lucis redundaturum esse in nonnullas partes historiae belli civilis Caesariani nondum satis adumbratas.

Quamobrem cum omnium legentium peto favorem, tum eorum virorum praestantissimorum, qui Dorpati Livonorum,

Petropoli, Bonnae, Berolini, Romae, Florentiae, Mosquae summa cum benevolentia coluerunt studia mea. Neque facere possum, quin hoc loco iis omnibus, imprimis E. Peterseno, L. Meyero, L. Mendelssohnio, G. Hoerschelmannio, C. Lugebilio, A. Prachovio, A. Schaefero, Fr. Buechelero, H. Usenero, Th. Mommseno, G. Henzeno, W. Helbigio, N. Anzianio, I. Zvetaievio, Th. Korschio gratias agam quam maximas atque memoriam eorum pio semper animo reculturum me esse profitear.

Scribebam Mosquae exeunte mense Decembri a. MDCCCLXXXII.

MATRI MEAE

PIETATIS ERGO.



Cum memoria extremorum rei publicae Romanae corruentis temporum ac belli civilis inter Caesarem et Pompeium orbem terrarum affectantes exorti a plurimis diversarumque partium scriptoribus veteribus ad posteritatem prodita magnamque partem tanta perspicuitate exposita sit, ut non narrari, quae gesta sunt, sed rem geri prorsus videas, fieri non potuit, quin ea post renatas litteras iterum ac saepius ad se alliceret antiquitatis investigatores moveretque, ut singulas traditiones diligenter perpenderent, secernerent, complerent omnibusque in ordinem redactis illorum temporum imaginem quam verissime ac perfectissime expressam restituere conarentur. Sed omnes fere, qui in ea studia incubuerunt, nescio quo modo intentioribus animis versati sunt in perscrutandis tractandisque rebus, quae bellum civile Caesarianum aut praecesserunt aut secutae sunt, quam in exponendo ipso bello. Quae res cum explicari non possit nisi eo, quod cognitio et consiliorum et eventus illius certaminis plerisque maioris esse videbatur momenti, quam cognitio ipsius belli — tamen hac quoque maximam iudico utilitatem afferri posse, si qui sibi proponant, ut Caesaris potissimum commentarios examinent et diligentissime cum ceteris scriptoribus comparent. Nam praecipue ea via ac ratione non modo facile perveniri posse ad intellegendum, quibus consiliis quaque fide et auctoritate Caesar libros suos scripserit, verum etiam ipsas res ad bellum pertinentes illustrari quis est, qui dubitet?

Neque sane desunt eiusmodi quaestiones de commentariis de bello Gallico scriptae; quae cum magnam litteris attulerint utilitatem, eo magis dolendum est, commentarios de bello civili valde neglectos neque tractatos esse, quod quidem sciam, nisi in dissertatiunculis aut omnino res cursim et leviter attingentibus aut plus de Caesaris arte scribendi quam de eius fide historica et de ipsis rebus gestis disserentibus[1]).

Si Caesaris commentariis de bello civili confectis prae aliis eius aetatis historiis per totam antiquitatem scriptores posteros parum usos esse negari non possit, ea res in tam insigni viro prorsus mira vix aliter explicetur, quam quod omnibus temporibus in eius scriptis partium principem ex sua tantum persona res gestas iudicantem ac cum ira et studio narrantem se praebere existimabant. Ac profecto eos ad tale iudicium, sive id in recta cognitione sive in opinione praesumpta positum esset, ipsa rei natura adduci potuisse quis est, qui neget? An vero non debuerunt alieno esse animo ab eo auctore, qui bellum civile tot variis magnisque et gravibus causis inter se et Pompei partes exortum neque prius, quam res publica Romanorum eversa esset, confectum ipse describere instituerat?

Atque hic iam nobis offertur unicum illud iudicium de Caesaris fide et auctoritate ad memoriam posteritatemque

---

1) Quamquam ea, quae Eyssenhardt (in Jahrb. 1862, vol. 85, p. 755—64) de Caesaris auctoritate disputavit, prae aliis digna esse mihi videntur, quae praedicentur, tamen conferas velim etiam: Drumann: „Geschichte Roms“ III, p. 756—58; Henne: „De Caesare rerum a se gestarum scriptore“ (Paris 1843); Winckelmann (in Jahn's Archiv II, 533—550); Bresemer: „Bemerkungen über den Werth und die Glaubwürdigkeit der Commentarien Caesars“ (1835); Seck: „De C. Iulii Caesaris commentariorum fide“, part. II (Essen. 1864). — Frustra contendebam, ut diligentius inspicerem libellum, quem Gloede composuit: „Ueber die historische Glaubwürdigkeit Caesars in den Commentarien vom Bürgerkriege“ (Kiel 1871).

proditum, illud Asinii Pollionis, qui commentarios „parum diligenter parumque integra veritate compositos putat, cum Caesar pleraque, et quae per alios erant gesta, temere crediderit et quae per se, vel consulto vel etiam memoria lapsus perperam ediderit; existimatque rescripturum et correcturum fuisse“ [2]).

Quod cum Asinius Pollio de Caesaris fide historica iudicabat, ipse de bello civili libros componebat [3]) sine dubio illius commentarios correcturus. Quod plane assecutus est. Tanta enim fide et integritate excelluerunt eius „historiae“ [4]),

---

[2]) Sueton. div. Iul. 56. — Quod iudicium Pollionis maxime ad commentarios de bello civili confectos spectare ex eo efficitur, quod ille neque ipse interfuit bellis Gallicis neque ea in historiis suis tetigerit nisi breviter, ubi rerum ordo ac series poscebat (cfr. eximiam G. Thoureti dissertationem: „De Cicerone, Asinio Pollione, C. Oppio rerum Caesarianarum scriptoribus“ (in „Leipz. Stud“ I), p. 329—332). — Quod Cicero (Brutus § 262) Caesarem commentarios scribentem voluisse dicit, „alios habere parata, unde sumerent, qui vellent scribere historiam“ (cfr. Hirt. de bell. Gall. VIII, pr.), his verbis, cum commentarii de bello Gallico sint dicti, vitia commentariorum de bello civili, illo tempore nondum editorum excusari posse nego.

[3]) Septem et decem eos fuisse Suidas tradit (v. Ἀσίνιος, I, p. 786 ed. Bernh.). Qui numerus etsi singularis est ideoque magnam suspicionem movet, tamen a nobis reici non potest.

[4]) Cum ex Horatii verbis (carm. II, 1, 1 seq.) intellegatur, Asinii librorum summam, ut ita dicam, fuisse bellum inter Caesarem et Pompeium gestum, cumque eos et Valerius Maximus (VIII, 13 extr. 4, edit. Kempf) et Seneca (suasor. VI, 15, p. 41, 19; p. 46, 29; p. 47, 2 seq. — edit. Kiessling) vocent historias, mihi quidem dubium non est, quin Suidas (v. Ἀσίνιος Πωλίων Ῥωμαῖος — ed. Bernh. I, p. 786) Asinium ἱστορίας Ῥωμαικὰς ἐν βιβλίοις ιζ' confecisse tradens easdem significet v. Πωλίων, ὁ Ἀσίνιος χρηματίσας (II, 2, p. 387 ed. Bernh.) his verbis: „περὶ τοῦ ἐμφυλίου τῆς Ῥώμης πολέμου, ὃν ἐπολέμησαν

ut scriptores posteri multo magis eas sequerentur, quam Caesarem neque rationem haberent eius rei, quod qui proximi Asinio Pollioni erant aetate, nimis aspera eius esse iudicia querebantur. Ac profecto hoc praeclare fecerunt, si quidem et veri similius est, illa iudicia a Pollione non in historiis, sed in aliis scriptis facta esse, et vehementer ambigi potest, num ea re vera fuerint tanta acerbitate, quantam eorum auctori quippe a Ciceronis arte dicendi alieno attribuit Quintilianus (Instit. orat. XII, 1, 22). Mihi quidem cum ea, quae ab Asinio Pollione de Sallustio (cfr. Sueton. de gramm. X, p. 108, 3 Reifferscheid. — Gellius, n. Att. X, 26, 1), de Livio (Quintil. I, 5, 56 et VIII, 1, 3), de Ciceronis indole (Seneca, suasor. VI, 24) dicta ad nos pervenerunt, subtilia, acuta, vera esse, tum nihil eius integritatem planius atque apertius declarare videtur, quam quod, qui Caesari intima familiaritate erat coniunctus — (in epistola ad Ciceronem a. u. c. 711 data Asinius: „Caesarem vero, inquit, quod me in tanta fortuna modo cognitum vetustissimorum familiarium loco habuit, dilexi summa cum pietate et fide“ (ad fam. X, 31, 3) — idem in scriptis suis (ac quidem in historiis) egregiam memoriam Bruti et Cassii tradidit (Tac. ann. IV, 34). Itaque non est mirandum Asinii historias ut non saepe — singularis enim veterum rationis testimoniorum afferendorum culpa erat — ita laudibus semper esse praedicatas. Ne longior sim, commemorem iudicia cum Appiani (de bell. civ. II, 70 et 82) et Suetonii (div. Iul. 30; 55; 56), tum praeci-

---

Καῖσάρ τε καὶ Πομπήιος“. Tantum enim abest, ut Thoureti interpretationem horum locorum, de qua infra uberius dicemus, sequi possim, ut Lipsii illam vocem, Suidam pecus esse, sed pecus aurei velleris, vehementissime comprobans eum altero loco verbo *Πωλίων* in errorem ductum opus Asinii Pollionis (hominis Romani) Tralliano, altero loco verbo *Ἀσίνιος* commotum *ἱστορίαν Ἑλληνικὴν Ῥωμαικῶς* a Tralliano fortasse confectam (cfr. Schwabe in Teuffel's Gesch. d. röm. Liter., edit. IV, § 221, 3; p. 443) Asinio Pollioni falso adscripsisse censeam:

pue Valerii Maximi, qui Asinium Pollionem „non minimam partem romani stili“ esse dicit (VIII, 13 extr. 4) eiusque auctoritate ante alios „certos auctores“ utitur.

Valde igitur dolendum est Asinii historias, quae Latino sermone confectae[5]) memoriam annorum circiter undeviginti[6]) decem et septem libris colligarunt, ad posteritatem non pervenisse. Neque tamen omnino nobis defuit fortuna. Nam cum habeamus complures veteres scriptores veluti Appianum, Plutarchum, Suetonium, alios, qui plus minusve Asinium secuti eius historias modo diligentius modo neglegentius exprimant, fieri non potest, quin omni cautionis genere in conferendis iis adhibito nobis contingat, ut ipsorum Asinii librorum summam satis bene restituamus eosque haud contemnendum adiumentum ad Caesaris commentariorum fidem examinandam praestare doceamus.

At Georgius Thouret in dissertatione, quam supra praedicavimus, acute arguteque demonstrare conatus est neque Plutarchum neque Appianum (secundo libro) ipsius Asinii

---

[5]) Quod plane demonstratur cum Asinii fragmentis, quae ad nos pervenerunt, tum iis, quae Suetonius (de grammat. X, p. 108 ed. Reiffersch.) de Ateio Pollionem praeceptis de ratione scribendi instruenti memoriae prodidit, tum his Suetonii verbis (div. Iul. 30): „Asinius Pollio, Pharsalica acie caesos profligatosque adversarios prospicientem haec eum [i. e. Caesarem] ad verbum dixisse referens: „Hoc voluerunt; tantis rebus gestis Gaius Caesar condemnatus essem, nisi ab exercitu auxilium petissem“. — Falso igitur, ut infra uberius demonstrabimus, iudicavit Casaubonus (ad Sueton. l. c., ed. Argent. 1647, p. 50) ex Plutarchi verbis (Caes. 46) concludens Asinium Pollionem Graeca lingua historias suas scripsisse.

[6]) Nam inter omnes fere hodie constat „Asinium Pollionem libris, qui editi sint, res Romanas inde ab anno 694 usque ad annum 712 u. c. comprehendisse“. (Confer inprimis ea, quae Thouret (l. l., p. 328—329) et Teuffel (Röm. Lit., ed. IV, § 221, 3, pag 442) de hac quaestione disputant.

historias inspexisse, sed utrumque eorum in describendo bello civili alicuius Graeci libello usum esse, „qui hanc saltem partem historiarum Asinii breviter contraxerit!“[7])

Quae sententia etsi prima specie valde probabilis videtur, tamen diligentius examinata multa mea quidem opinione habet, in quibus vehementer offendamus.

Ac primum quidem Thouret admiratus, quantae inter Plutarchum et Appianum intercedant similitudines (p. 341), ex eo, quod uterque eodem loco (de numero militum Pompeianorum in pugna Pharsalica occisorum verba faciens) Asinium Pollionem testem indicet, effici dicit, ab neutro huius historias inspectas esse, sed in utriusque fonte fuisse illud testimonium (p. 333—334).

Sed proponamus illa Appiani et Plutarchi verba:

Appianus (II, 82 ed. L. Mendelss.)	Plutarchus (Pomp. 72):
...ἐκ δὲ τῶν Πομπηίου βουλευταὶ μὲν δέκα [ἀπέθανον]...., τῶν δὲ καλουμένων ἱππέων ἀμφὶ τεσσαράκοντα τῶν ἐπιφανῶν· ἐκ δὲ τῆς ἄλλης στρατιᾶς οἱ μὲν ἐπαίροντές φασι δισμυρίους ἐπὶ πεντακισχιλίοις, Ἀσίνιος δὲ Πολλίων, ὑπὸ Καίσαρι τῆς μάχης ἐκείνης στρατηγῶν, ἑξακισχιλίους ἀναγράφει νεκροὺς εὑρεθῆναι τῶν Πομπηίου.	*Ἔφυγε δὲ καὶ τὰ λοιπὰ τάγματα, καὶ φόνος ἐν τῷ στρατοπέδῳ πολὺς ἐγένετο σκηνοφυλάκων καὶ θεραπόντων· στρατιώτας δὲ μόνους ἑξακισχιλίους πεσεῖν φησιν Ἀσίννιος Πολλίων, μεμαχημένος ἐκείνην τὴν μάχην μετὰ Καίσαρος.*

[7]) In eandem fere sententiam disputat Unger in „Phil. Anzeig.“ (1876) VII, p. 129. — Ludovicus Mendelssohn ad App. II, 40 (quo loco de Asinii Pollionis in Siciliam expeditione narratur): „ipsam rem, inquit, admodum quidem eam probabilem, Appianus et Plut. Cat. 53 ex scriptore aliquo Graeco, qui ipsius Asinii commenta-

Quibus locis comparatis praepropera esse atque inconsulta mihi videtur illa Thoureti conclusio multoque veri similius, Appianum, cum in Asinii historiis haec fere scripta invenisset: „In ea pugna, cui ipse interfui legatus Caesaris, ceciderunt non XXV milia, ut vulgo ferunt, sed VI sola“ (cfr. Thouret p. 335), illa verba integra in Graecam linguam transtulisse, Plutarchum autem ea pro consuetudine sua contraxisse.

Sed, ut pergamus, gravius est, quod Thouret (p. 335—338) et Plutarchum et Appianum de recensu a Caesare anno a. u. c. 708 (cfr. Mommsen in C. I. L. I, p. 124) acto valde errasse dicit, cum et illius de hac re verba (Caes. 55 extr.: *Μετὰ δὲ τὰς θέας γενομένων τιμήσεων ἀντὶ τῶν προτέρων δυεῖν καὶ τριάκοντα μυριάδων ἐξητάσθησαν αἱ πᾶσαι πεντεκαίδεκα. Τηλικαύτην ἡ στάσις ἀπειργάσατο συμφορὰν καὶ τοσοῦτον ἀπανάλωσε τοῦ δήμου μέρος, ἔξω λόγου τιθεμένοις τὰ κατασχόντα τὴν ἄλλην Ἰταλίαν ἀτυχήματα καὶ τὰς ἐπαρχίας)* — et huius illorum simillima (II, 102 extr.: *τὸ δὲ τοῦ δήμου πλῆθος ἀναγραψάμενος, ἐς ἥμισυ λέγεται τῶν πρὸ τοῦδε τοῦ πολέμου γενομένων εὑρεῖν· ἐς τοσοῦτο καθεῖλεν ἡ τῶνδε φιλονεικία τὴν πόλιν)* plane abhorreant ab eo, quod Suetonius (div. Iul. 41) Caesarem recensu acto „ex viginti trecentisque milibus accipientium frumentum e publico [i. e. etiam tum (anno a. u. c. 708) vivorum] ad centum quinquaginta“ retraxisse dicat. Quem errorem Plutarchi et Appiani non Asinio Pollioni, qui dubitari non possit, quin recte de illo recensu iudicarit, sed alii eorum auctori communi (i. e. Graeco alicui, qui Asinii historias excerpserit) attribuendum esse.

Thouretio haec mihi liceat opponere: Quod Suetonius (div. Iul. 42) ex illis centum et septuaginta milibus hominum, qui a Caesare a frumentatione exclusi essent, octoginta „civium“ milia in transmarinas colonias distributa esse dicit, Zumpt

---

rios sequebatur, sumpsisse videntur. recte Thouret „Leipz. Stud“. t. I, p. 343“.

(„Comment. epigr.“ p. 317 seq.) et Marquardt („Röm. Staatsverwalt.“ I², p. 116 cum nota 3) recte monent verendum esse, ut Caesar illam rem perfecerit. Neque Thouret (p. 336—337) cum Suetonium vera dixisse omnesque eos, qui a frumentatione exclusi sunt (qui erant centum et septuaginta milia), cives fuisse putet, ulla ratione explicare potest, quonam deductis de illo numero octoginta milibus abierint nonaginta milia, quae supersunt, ac quo modo factum sit, ut ea a frumentatione excluderentur.

Quam ob rem mihi quidem dubium non est, quin Suetonio minor fides tribuenda sit quam Cassio Dioni (XLIII, 21, 4), qui illa centum et septuaginta milia hominum a Caesare ideo exclusos esse dicit, quod civitatem iniuria arripuissent (cfr. Mommsen „Die römische Tribus“ p. 187 seq.). Neque haec discrepant ab iis, quae apud Plutarchum et Appianum de recensu leguntur. Nam cum per se intellegatur numerum civium Romanorum bello civili valde deminutum esse, cumque Cassius Dio aperte dicat (XLIII, 21, 4: *καὶ τοῦ πλήθους τοῦ τὸν σῖτον φέροντος ἐπὶ μακρότατον, οὐ κατὰ δίκην ἀλλ' ὥς που ἐν ταῖς στάσεσιν εἴωθε γίγνεσθαι, ἐπαυξηθέντος ἐξέτασιν ἐποιήσατο [Καῖσαρ], καὶ τούς γε ἡμίσεις ὁμοῦ τι αὐτῶν προαπήλειψε*) turbulentis illius belli temporibus magnam hominum multitudinem [i. e. centum et septuaginta milia] in urbem confluxisse et iniuria effecisse, ut frumentum acciperet, mihi quidem esse manifestum videtur, illam se occisorum civium vice inseruisse numero eorum, qui frumentum acciperent, atque hoc modo factum esse, ut numerus omnium accipientium frumentum e publico idem esset ante recensum anno a. u. c. 708 actum atque anno 705 ante bellum. Itaque nihil est mea sententia, cur miremur, si Asinius Pollio, quem semper aperte atque integre iudicare solitum esse supra demonstravimus, cum ipsum recensum a Caesare actum breviter attigerit, multis et acerbis verbis questus sit, eo apparuisse numerum civium a trecentis et viginti milibus ad centum et quinquaginta milia deminutum esse bello civili. Quae verba

Asinii et Plutarcho et Appiano imprimis digna videri debuisse, quae ipsi redderent, quis est, qui non concedat?

Iam cum demonstrasse mihi videar prima illa argumenta, quibus Thouret Plutarchum et Appianum neglectis ipsius Asinii historiis Graecum aliquem, qui eas excerpserit, secutos esse docere conatur, multum dubii relinquere atque infirmiora esse, quam quibus refellantur, qui Asinium illorum auctorem fuisse iudicent [8]), pergamus ad reliqua videamusque, possimusne etiam in eam arcem invadere, quam Thouret ab ipso Plutarcho de Caesaris voce illa in campis Pharsaliis edita (cfr. Sueton. div. Iul. 30) mentionem facienti sententiae suae praeberi contendit. Ac quidem illa, quae in disputationem vocantur, verba Plutarchi (Caes. 46) haec sunt: *(Ὁ δὲ Καῖσαρ.... εἶπεν ἄρα στενάξας· „Τοῦτο ἐβουλήθησαν, εἰς τοῦτό με ἀνάγκης ὑπηγάγοντο, ἵνα Γάιος Καῖσαρ ὁ μεγίστους πολέμους κατορθώσας, εἰ προηκάμην τὰ στρατεύματα, κἂν κατεδικάσθην“). Ταῦτά φησι Πολλίων Ἀσίννιος τὰ ῥήματα Ῥωμαιστὶ μὲν ἀναφθέγξασθαι τὸν Καίσαρα παρὰ τὸν τότε καιρόν, Ἑλληνιστὶ δ' ὑπ' αὐτοῦ γεγράφθαι.*

Quae verba Thouret (p. 339—340) Casauboni interpretationem (cfr. not. 5) secutus sic transferenda esse iudicat: „haec verba, ait As. P., Latine quidem tum Caesarem locutum esse, Graece autem a se scripta“. Tum pergit (p. 340): „Esset igitur Asinius quidam Pollio, qui in scribendis rebus gestis Graeca lingua uteretur? „At Asinius Pollio Caesaris amicus Latine scripsit!“ Sane! Exsistit igitur alter Asinius

---

[8]) Cfr. Wijnne: „De fide et auctoritate Appiani“ (1855), p. 35 seq.— Peter: „Die Quellen Plutarch's in den Biographien der Römer“ (Hall. 1865), p. 124 seq. — Bailleu: „Quomodo Appianus in belli civilis libris II—V Asinii Pollionis historiis usus sit“ (1874). — Praeterea confer Thorbecke: „Commentatio de C. Asinii Pollionis vita et studiis doctrinae“ (Lugd. Bat. 1820). — Hendecourt: „De vita, gestis et studiis Asinii Pollionis“ (1858). — Aulard: „De C. Asinii Pollionis vita et scriptis“ (1877).

Pollio atque ille quidem homo Graecus. En revocatur iam in vitam Trallianus noster, quem supra sepelivimus. Neque vero quicquam auferre possum de iis, quae dixi. Asinius Pollionis libertus monstrum est. Itaque nihil relinquitur, quam ut hunc Asinium Pollionem Caesaris legatum intellegamus. Nodum autem expediam hoc modo: Plutarchus, cum haec fere verba apud auctorem suum legeret: *ταῦτα, (ὥς) φησι Πολλίων Ἀσ., τὰ ῥήματα Ῥωμαιστὶ μὲν ἀνεφθέγξατο ὁ Καῖσαρ παρὰ τὸν τότε καιρόν, Ἑλληνιστὶ δ' ὑπ' ἐμοῦ* (scil. a scriptore Graeco) *γέγραπται·* etiam illa verba „*ὑπ' ἐμοῦ γέγραπται*" ipsius Asinii Pollionis duxit. Quare fieri non potuit, quin ambiguam sententiam proderet, si satis habuit directam orationem in obliquam convertere. Si hoc verum est, optimo iure me asseveraturum spero, Plutarchum cum putaret Asinium Pollionem Graece scripsisse, Asinii historias neque legisse neque adhibuisse. Porro quia negari non potest, dictum illud Caesaris ex historiis Pollionis esse libatum (cfr. Sueton. Iul. 30), sequitur, ut auctor, quem Plutarchus expressit, Asinii Pollionis historias aut partem earum Graecam in linguam redegerit". — Atque in fine quaestionis suae Thouret (p. 345—346): „Cuius [libelli Graece scripti] titulus, inquit, quantum auguror coniectura, fere hic erat: *Ἀσινίου Πωλίωνος (βιβλίον) περὶ τοῦ ἐμφυλίου τῆς Ῥώμης πολέμου, ὃν ἐπολέμησαν Καῖσάρ τε καὶ Πομπήιος.* — Suidas, ubicumque hunc titulum invenit, libellum adscripsit Polioni, rhetori Graeco ac philosopho, quem ea aetate Romae fuisse sciebat. Quamobrem addidit: *ὁ Ἀσίνιος χρηματίσας* et *περὶ τοῦ ἐμφυλίου κ. τ. λ.*"

Cui sententiae Thoureti argutissime explicatae multa tamen repugnare mihi videntur. Ac primum quidem facere non possum, quin in illis verbis *(ταῦτα, (ὥς) φησι Πολλίων Ἀσ., τὰ ῥήματα Ῥωμαιστὶ μὲν ἀνεφθέγξατο ὁ Καῖσαρ παρὰ τὸν τότε καιρόν, Ἑλληνιστὶ δ' ὑπ' ἐμοῦ γέγραπται)* offendam, quae Thouret Plutarchum apud auctorem suum legisse atque ita interpretatum esse iudicat, ut illud „*ὑπ' ἐμοῦ γέγραπται*" ad ipsum Asinium Pollionem referret. Nam cum magnopere vereor,

ut Plutarchus historiam belli civilis ab Asinio Latine scriptam esse ignorarit adeoque neglegens et stultus fuerit, ut illa verba „ὑπ' ἐμοῦ γέγραπται“ ipsius Pollionis duceret, tum nullam causam excogitare possum, cur ille scriptor Graecus, quem Thouret ponit, in epitome sua historiarum Asinii praedicarit, auctorem suum [Latine scribentem] tradere, Caesarem in campis Pharsaliis Latine pronuntiavisse illam vocem: „τοῦτο ἐβουλήθησαν“ κ. τ. λ., curque addiderit se ipsum eam ex Latino in Graecum sermonem vertisse [9]).

Quod autem ad verba „παρὰ τὸν τότε καιρόν“ verbis „ταῦτα τὰ ῥήματα Ῥωμαιστὶ μὲν ἀνεφθέγξατο Καῖσαρ“ subiecta pertinet, haec ab illo scriptore, quem ponit Thouret, addita utique inania esse mihi videntur. Sed fac in illius epitome scripta esse omnia ea, quae vult Thouret *(ταῦτα, (ὥς) φησι Πολλίων Ἀσ.... Ἑλλ. δ' ὑπ' ἐμοῦ γέγραπται)*: num quis sanam causam invenire potest, cur etiam Plutarchum brevitati servientem ea transscripsisse putemus?

Itaque censeo Plutarchi, quae supra proposuimus, verba sic interpretanda esse, ut illud „ὑπ' αὐτοῦ“ cum Thorbeckio (l. l. p. 110), Hendecourtio (l. l. p. 73), aliis ad Caesarem referamus. Neque Thouret recte iudicat, quod huic interpretationi multa repugnare dicit. Immo enim vero et verba „παρὰ τὸν τότε καιρόν aut a Plutarcho addita nihili nobis facienda esse aut ab Asinio Pollione scripta nullum relativum praeter illud „(ὑπ' αὐτοῦ) γεγράφθαι“, quippe quod postea [ὕστερον] accidisse per se intellegatur, desiderare mihi viden-

---

[9]) Nam si ille scriptor a Thouretio fictus se purgare voluisset, quod Caesaris dictum non ad verbum reddidisset, aliis utique verbis usus esset atque iis, quae Thouret ponit (Ἑλληνιστὶ δ' ὑπ' ἐμοῦ γέγραπται). Omnis autem excusatio supervacanea, immo inepta erat. — Asinius Pollio autem, cum historias suas scriberet Latino sermone, vix dicendum sibi esse putasset, Caesarem illa verba, quae supra proposuimus, Latine pronuntiavisse, nisi refellere voluisset, qui ea Graece dicta esse iudicarent.

tur, et illud ipsum „ὑπ' αὐτοῦ γεγράφθαι“ (non „γεγραφέναι“) eo consilio scripta esse iudico, ne quae sententia ambigua proderetur.

Iam si quaerimus, quonam loco Caesar illa verba Graece scripserit, rectissime Thorbecke respondere mihi videtur: „in uno alterove commentario aut epistola“. Quam Thorbeckii sententiam Thouret frustra refellere conatus est. Nam cum nihil obstat, quominus Caesarem, quem in bello civili permultas epistolas et Latine et Graece scriptas ad amicos atque ad adversarios suos misisse constet, in una alterave Graece scripta aut praedicandi sui aut purgandi causa illud dictum suum cum aliis communicasse existimemus [10]), tum Asinius Pollio diligentissimum se in rebus gestis scribendis fuisse ostendit eo, quod in historiis suis, ne ab iis refelleretur, qui ex Caesaris epistola colligerent verba illa ab eo Graece emissa esse, aperte planeque haec fere tradidit: „Quod autem sunt, qui illam vocem (Latino sermone a me supra commemoratam) a Caesare Graece pronuntiatam esse putent: Graece ea scripta est ab eo, Latine autem illo tempore [de quo agitur, id est: in campis Pharsaliis] dicta“ [11]).

---

[10]) Nescio an ex illa epistola dictum Caesaris insertum sit iis „voluminibus ἀποφθεγμάτων“, quae a Caesare confecta esse Cicero (ad fam. IX, 16, 4) et Suetonius (div. Iul. 56) tradunt quaeque postea Augustus veritus, ne nimis divulgarentur, publicari vetuit (cfr. Sueton. l. l.). Quod si ita fuit, Asinius etiam plus habuit, quod uberius de illis verbis Caesaris diceret.

[11]) Haec intuens intellegere possum, quare Suetonius (div. Iul. 30) Caesaris verba: „Hoc voluerunt; tantis rebus gestis Gaius Caesar condemnatus essem, nisi ab exercitu auxilium petissem“ ex Asinii historiis sumens addiderit sic illa „ad verbum“ pronuntiata esse. Alio enim loco vocis ad Rubiconem a Caesare editae (Asinio auctore) mentionem faciens Suetonius satis habet eam in Latinum conversam („alea iacta est“) referre, cum dubitari non possit, quin Asinius Pollio

Quae Asinii verba hoc fere ordine posita si intueamur, minime probabilem esse Thoureti interpretationem quis est, qui neget? Ea autem improbata tota eius disputatio labitur, praesertim cum nullam vim habere mihi videantur reliqua, quae affert Thouret (p. 341 seq.), argumenta. Tantum enim abest, ut in iis similitudinibus, quae inter

Appianum	(II,	26)	et Plutarchum	(Caes.	29, 2. 3)
"	"	27 extr.	"	"	30, 2
"	"	37 in.	"	"	33, 4
"	"	57 p. med.	"	"	38, 3
"	"	62 extr.	"	"	39, 5
"	"	77	"	Pomp.	70, 2
"	"	81	"	Caes.	45, 5
"	"	104 extr.	"	"	56, 3
		etc.	etc.		

(cfr. Thouret p. 341) intercedunt, offendere debeamus, ut eae facillime explicari possint eo, quod illi uno eodemque auctore (Asinio Pollione) usi sunt.

Quod autem Thouret sententiae suae adiuvandae causa in fontes, quos Appianus libris III—V adhibuerit, inquirere conatus negat (p. 345) se nodos, qui in illa quaestione exsistant, solvere posse: ne ego quidem nego tam obsuram eam esse tamque difficilem, ut non modo Thorbecke, Hendecourt, alii, sed ne Bailleu quidem eam profligarint et ad exitum adduxerint. Hoc unum persuasum mihi habeo frustra sudasse Bailleuum docere conatum etiam quinto libro Appianum usum esse Asinio auctore.

Sed haec hactenus; non enim cum Appiani libris III—V, sed cum libro secundo nobis res est.

Quoniam demonstravimus nihil esse, cur dubitemus, quin et Plutarchus et Appianus (libro II) ipsius Asinii historias

---

tradiderit (cfr. Plut. Pomp. 60; Caes. 32. — App. II, 35) eam a Caesare Graece emissam esse; erat enim dictum Menandri (cfr. fragm. comic. Graec. ed. Meineke IV, p. 88, I: „ἀνερρίφθω κύβος").

expresserint, veniamus nunc ad reliquos, qui de bello civili scripserunt, videamusque, quantum ii nos adiuvare possint ad examinandos Caesaris commentarios et ad ipsas res ab eo gestas cognoscendas.

Atque in primis praedicandae sunt Ciceronis epistolae, quae solae facultatem nobis dant rerum ordinis ac temporum accuratius definiendorum. Tanta enim diligentia et sinceritate, tantaque perspicuitate et vigore bellum civile in iis expositum est, ut non narrari, quae sunt gesta, sed geri rem prorsus videas. Tamen caveas velim, ne integritate, qua Cicero omnes sollicitudines in familiaribus deponit et cum Attico potissimum belli miserias conqueritur, capiaris adducarisque, ut in ea praetermittas scriptoris inconstantiam ac perpetuam animi fluctuationem et Boissieri („Ciceron et ses amis", p. 2) sententiam secutus unum eum incorrupte de temporibus suis iudicasse contendas. Nam etsi multae epistolae auctoritatem habent publicarum litterarum, plures tamen a Cicerone, qui numquam a factionum certamine alienus erat, in chartam coniectae sunt, utcumque eum praesens affectio movebat, ideoque carent illa maturitate, firmitate, subtilitate iudicii, quam in historia scribenda non assequitur nisi is, qui res gestas quieto animo et tamquam ex longinquo spectare et examinare et comprehendere potest. Quod prorsus obtigit et Asinio Pollioni, de quo supra diximus, et Tito Livio, cuius libros de bello civili confectos ad posteritatem non pervenisse vehementer dolendum est. Eos enim ceteris excelluisse fide et auctoritate cum alia indicia tum historiae eorum scriptorum, qui illum potissimum in exponendis extremis rei publicae Romanorum temporibus secuti sunt, plane demonstrant. Quorum omnium primus ponendus est Cassius Dio, qui nescio an praeter Livium etiam Asinii historias et Caesaris commentarios inspexerit. Tum ex Livio (aut ex aliqua epitome eius librorum) hauserunt Lucanus (is quidem, ut mihi videtur, etiam alio auctore Pompei partium studiosiore usus), Valerius Maximus, epitomatores Florus, Eutropius, Orosius.

Denique commemorandae sunt periochae Livianae. Velleio Paterculo autem et maxime Suetonio, haud spernendis illis quoque auctoribus, cum Asinii Pollionis tum multorum aliorum scriptorum libri silvam rerum suppeditaverunt [11]).

Nunc quoniam vidimus, quot qualesque auctores extent, quibus usi bellum civile Caesarianum exponere possimus, accedamus ad excutendam ipsam quaestionem, num Asinius suo iure fecerit severum illud, quod supra proposuimus, iudicium de Caesaris commentariis. Iam complures homines literati, ut initio huius disputationis commemoravimus, de fide atque auctoritate Caesaris disseruerunt. Sed cum omnes fere leviter summatimque rem tractent ideoque facere non possint, quin saepius in singulis rebus vehementer errent atque adeo in scriptorem iniquiores se praebeant, non indignum esse mihi videtur totam quaestionem ab integro habere atque ita instituere, ut praecipue de singulis deinceps rebus quam diligentissime disseratur atque cognoscatur, quibus causis commotus Caesar hanc rem uberrime exposuerit, illam aliter ac ceteri scriptores narraverit, illam denique silentio praetermiserit.

---

[11]) De his omnibus scriptoribus confer imprimis: Köhler: „Qua ratione Livii annalibus usi sint historici graeci et latini“ (Gotting. 1861); Grasshof: „De fontibus et auctoritate Dionis Cassi“ (Bonn. 1867); Böttcher: „Ueber die Quellen des Cassius Dio in seiner Darstellung des Bürgerkrieges zwischen Caesar und Pompeius“ (Halberstadt. 1872); Zschech: „De Cicerone et Livio Valerii Maximi fontibus“ (Berol. 1865), p. 3 seq. et 23—50; Kempf in prolegomenis ad Valerii editionem (Berol. 1854), p. 15 seq. — Baier: „De Livio Lucani in carmine de bello civili auctore“ (Schweidnitz. 1874). — Wlad. Pirogoff: „De Eutropii breviarii indole ac fontibus“ I (Berol. 1873), p. 39 seq. — Moerner: „De Orosii vita eiusque historiarum libris VII adversus paganos“ (Berol. 1844), pag. 49 seq. — cfr. edit. Zangemeisteri (Vindob. 1882).

Sed priusquam haec aggrediar, unam quaestionem absolvere ac quidem eorum refellendorum causa, qui Caesaris de bello civili commentarios praeter multa minora librorum manuscriptorum vitia et lacunas integros ad nos pervenisse putant, narrationem cladis Dolabellae et Antonii in Illyrico acceptae, quae quin a Caesare minime sit omissa, dubitari non possit [12]), intercidisse demonstrare mihi liceat. Neque ego primus id contendo. Nam cum iam alii eam lacunam aut in extremo secundo libro aut in principio tertii alicubi esse coniecerant, tum Nipperdey („Quaest. Caesar.“ p. 160—161) eumque secuti Kraner-Hofmann (ad Caes. III, 8) eo commoti, quod Caesar expeditionibus Bibuli enarratis (III, 8, 4) subito atque improviso transeat ad describendas res gestas Octavii (III, 9, 1: „Discessu Liburnarum ex Illyrico M. Octavius“ cet.), inter octavum libri tertii caput et nonum illarum rerum Illyricarum narrationem olim exstitisse atque postea intercidisse censuerunt. Quae sententia quamvis prima specie satis verisimilis sit, tamen diligentius examinata prorsus infirma tibi videbitur, si concesseris verendum esse, ut Caesar exponens, quomodo ipse classem ad Epiri oram appulerit et Bibulus redeuntibus navibus detrimentum attulerit, in media ea narratione subito clades a Dolabella et ab Antonio multo ante acceptas descripserit atque ita rerum contextum dissolverit. Accedit, quod ipse in quarto capite (§ 2) libri tertii milites Antonianos Pompei exercitui immixtos esse dicit eoque ostendit, se supra de cladibus Illyricis esse locutum. Neque aliter res se habuisse potest. Nam cum Antonius et Dolabella eodem tempore vincerentur, quo Caesar

---

12) Ipse Caesar, quem memoria plurimum valuisse et quotiescunque legentes aut dictis aut omissis verbis „ut supra demonstravimus“ ad aliquam rem antea expositam revocet, eam re vera narrasse notum est, eo quod illius cladis mentionem faciens ter ad superiorem descriptionem eius remittit (III, 4, 2; 10, 5; 67, 5), se uberius de ea locutum esse ostendit.

Hispaniam in ditionem suam redegit et Curio in Africa occisus est (cfr. impr. App. II, 47 et Dion. Cass. XLI, 40—41, 1), omnes eas res observato temporis ordine deinceps a scriptore exponi debuisse manifestum est. At Nipperdey ex Dione (XLII, 11, 1) colligi posse contendit, Octavium confestim a victoria ex Antonio lata aggressum esse Salonas (cfr. Caes. III, 9). Quid? Nonne tantum abest, ut Dio tempus, quo illud oppidum oppugnari coeptum sit, definiens Nipperdeyi sententiam probet, ut verbis „*ὡς γὰρ [ὁ Ὀκταούιος] τότε τὸν Ἰόνιον ἐσέπλευσε καὶ τὸν Ἀντώνιον τὸν Γάιον συνέλαβεν, ἄλλων μέν τινων χωρίων ἐκράτησε, τὴν δὲ δὴ Σάλωνα, καίπερ ἐπὶ πλεῖστον αὐτὴν πολιορκήσας, οὐχ εἷλε·*“ significet inter illas duas res, quarum alteram, Antonii cladem, mense Sextili anni a. u. c. 705, alteram, Octavii a Salonis frustra obsessis discessum, non prius quam mense Ianuario anni sequentis accidisse ex iis, quae a scriptoribus traduntur, efficere possumus, satis magnum intercessisse spatium temporis? [13]) Ex eo denique, quod Caesar (III, 9, 8) Octavium desperata oppugnatione Salonarum Dyrrhachium sese ad Pompeium recepisse et paullo ante (III, 9, 5) illud oppidum ad summas angustias adductum ab ipso auxilium petiisse dicit, intellegitur Octavium eo fere tempore, quo Caesar classem ad Epirum appulit, Salonis oppugnandis fuisse intentum. Atque ita profecto noni capitis argumentum optime excipit res octavo expositas. Nam quamquam dubitari non potest, quin huius capitis finis paullum depravatus sit, tamen id, quod Bibulus, dux praefectusque classis Pompeianae (cfr. Caes. III, 5, 4), prohibiturus, ne reliquae legiones equitatusque Caesaris transportari possent, a Sasonis ad Curici portum stationes litoraque omnia classibus suis occupari et custodiri iussit, cum ad Issae occupationem et Salonarum Caesari amicarum obsessionem, tum ad Liburnarum ex Illyrico discessum aptiore

[13]) Confer etiam ordinem, quo apud Orosium (VI, 15, 8—9 ed. Zangem.) eae res describuntur.

contextu pertinet, quam ut inter illud octavum caput et nonum neglectis omnibus argumentis contrariis etiam descriptionem rerum multo ante in Illyrico gestarum intericere possimus. Valde igitur errare mihi videntur, qui cum Caesaris verba „discessu Liburnarum ex Illyrico“ interpretari non queant, extremo capite octavo quippe lacunoso illam narrationem intercidisse existimant. Immo enim vero mea quidem sententia ea verba optime explicare possumus hoc modo: Cum Libo Antonio victo eius milites ad Pompeium in Macedonia versantem adducturus (cfr. Caes. III, 4, 2) e mari Illyrico cum classe Liburnica, cui praeerat (cfr. III, 5, 3), discessisset, neque Bibulus in eius locum alias naves succedere in tempore iussisset, factum est, ut Caesar nihil in mora haberet, quominus cum magna parte exercitus in Epirum traiceret atque ad Palaesten appelleret. Tum vero Bibulus vigilantior factus cum classe sua, quae ad Corcyram in statione erat, inanes Caesaris naves redeuntes aggressus triginta fere cepit incenditque et priorem errorem correcturus, ne reliquae legiones transportari possent, totam classem suam propter Liburnarum discessum latius explicuit et praeter omnia litora Illyrica a Sasone ad Curictam constituit. — Iam videmus verba „discessu Liburnarum ex Illyrico“, quae ad res post Antonii cladem gestas atque simul cum ea (in secundo libro, ut mox demonstrabimus) a Caesare enarratas pertineant, minus apte cohaerere cum principio capitis noni, quam cum extremis verbis octavi („ne quod subsidium exspectanti Caesari in conspectum venire posset“), ita ut lacuna non sit ponenda nisi post vocem „despiciens“ eaque facile suppleri possit verbo veluti „curam egit“ aut potius „prospexit“ („prospiciebat“).

Nunc quoniam demonstrasse mihi videor, non extremo libri tertii capite octavo rerum Illyricarum narrationem intercidisse, nihil relinquitur, quam ut eam in secundo libro duobus ceteris minore, ac quidem aut in eius fine aut post caput alterum et vicesimum exstitisse existimemus. Utri loco principatus dandus sit, ut diiudicare non audeo, ita haec coniectura augurari mihi concedatur.

Qui secundum commentariorum librum diligentius inspexerit, et compluribus aliis locis (imprimis in capite 29) et in medio capite altero et vicesimo ante verba minime apte cum praeteritis cohaerentia: „ex his unum ipsius navigium“ cet. lacunam esse cognoscet ideoque de totius eius capitis integritate dubitabit veritus, ut recte moneant, quibus huius loci difficultas ex una licentia atque indiligentia verborum compositionis pendere videtur. Sed utcumque res erit, hoc levius, gravius est illud, quod Caesar, postquam modo (c. 21 extr.) narravit, Massiliam captam et se Romam profectum esse, c. 22, 1 his verbis pergens: „Iisdem temporibus C. Curio in Africam profectus ex Sicilia.... appellit“ non servato temporis ordine transit ad describendas res multo ante in Africa gestas (cfr. Kramer-Hofmann ad Caes. II, 21 et 23). Quod cum non facile defendi possit excusatione indiligentiae scriptoris, hoc loco nescio an interciderit expositio rerum Illyricarum. Apud Appianum (II, 47) quidem disertissime planissimeque scriptum est, eodem ipso tempore, quo Curio in Africam calamitatem acceperit, etiam Antonium victum esse — *„καὶ τῶν αὐτῶν ἡμερῶν Ἀντώνιός τε περὶ τὴν Ἰλλυρίδα ἡττᾶτο ὑπὸ Ὀκταουίου Πομπηίῳ στρατηγοῦντος, καὶ στρατιὰ Καίσαρος ἄλλη περὶ Πλακεντίαν στασιάσασα“ κ. τ. λ.* Neque Livius ab Appiano, qui Asinio Pollione auctore usus est, discrepat, sed plane cum eo consentiens, ut ex scriptoribus eum potissimum secutis colligi potest, primum Massiliam captam, tum clades eodem tempore a legatis Caesaris acceptas ita exponit, ut narrationem rerum Illyricarum excipiat narratio caedis Curionis (cfr. imprimis Oros. VI, 15, 8—9 ed. Zangem., Livii epit. 110; Florus II, 13; Cassius Dio XLI, 26, 1 et 40, 1—42, 7; Lucan. IV, 402—824). — His omnibus argumentis veri simile fit, etiam Caesarem, priusquam res in Africa gestas describeret, descripsisse Illyricas [14]).

---

[14]) Ne quis ex eo, quod Nipperdey (l. l. p. 5) commentarios de bello civili non confectos et post Caesaris mortem demum editos esse

Qua re constituta alteram quaestionem, num Caesar etiam de militum suorum seditione Placentiae orta locutus sit eiusque narratio post idem caput alterum et vicesimum interciderit, cum Nipperdeyio (l. l. p. 161) contra Drumannum („Geschichte Roms" III, 470, n. 45; 758, n. 49) plane negandam esse censeo. Tantum enim abest. ut Caesaris interesse potuerit commemorare, quantum taedium belli civilis cepisset milites suos, ut contra non modo levem illum fremitum, qui inter eos, priusquam in Graeciam transirent, ortus est atque a Plutarcho (Caes. 37) tam diligenter enarratur, sed Labieni defectionem silentio praetermittat et omni occasione ostendere conatus suos se quippe melioris causae propugnatorem semper libenter secutos esse vel minimos eorum errores aut reticeat aut purget. Quae cum ita sint, stultum esse mihi videtur contendere Caesarem de truculenta illa atque infesta seditione Placentiae orta, cuius vitium nullis verbis decoris obvolvere potuit, uberius exposuisse [15]).

Quoniam hoc modo una eaque magna lacuna diligentius perlustrata vidimus, id quod infra quoque spectandum erit, Caesaris de bello civili commentarios compluribus locis non integros ad nos pervenisse, iam ad propositum revertamur examinemusque, quanta cuique rei ab illo expositae fides habenda sit.

---

docet, colligat res Illyricas ab illo (in secundo libro, quippe cui ultima lima desit) nondum expositas esse, cum mortuus sit: ea sententia minime probabilis esse mihi videtur prae illis locis, quibus ipse scriptor clades Dolabellae et Antonii commemorans ter ad superiorem earum descriptionem remittit (cfr. not. 12).

15) Minime caute considerateque Drumannus et Caesarem de seditione Placentina disseruisse et eius narrationem in fine secundi libri

Vix Kalendis Ianuariis anni a. u. c. septingentesimi quinti Caesaris litterae, quae eius postulata continebant, a Curione consulibus redditae atque in senatu recitatae erant: cum plerique et gravissimi Pompeianorum duces tamquam tempestate indignationis atque irae orta in furorem acti sunt. In senatu, qui etiam postridie habetur, asperis orationibus ignavi excitantur e quiete. Pompei amici et adiutores, imprimis Scipio et C. Claudius Marcellus L. Cornelius Lentulus consules flagitant, ut aut Caesar ante certam diem exercitum dimittere iuberetur aut sine mora cum eo de summa rerum decerneretur. Eorum minis terrentur prudentes moderatique; spernuntur monentes; omnes unum atque idem cum Pompeianorum ducibus sentire coguntur. Bellum civile inevitabile erat. — Interea Caesar postulatis suis responsa exspectans Ravennae constiterat, ut si iniqua abstulisset, subito atque improvisus bellum adversariis suis inferre posset. Pacem neque sperabat neque cupiebat. Immo vero condiciones suas quam lenissimas modestissimasque ideo tantum tulerat, quod cum persuasum haberet fieri non posse, quin res ad arma atque pugnam veniret, tum operam dabat, ut mitem et bonum civem se fingeret. Scilicet in commentariis suis Caesar affirmare non desinit se semper ad pacem inclinatum fuisse atque ex animi sententia detestatum esse arma. Quod affirmanti ei minime credendum esse saepius infra videbimus [16]). — Mox, ut spe-

---

intercidisse iudicat alteram sententiam ab altera abhorrere oblitus. Nam si Caesar re vera militum suorum seditionem descripsisset, id certissimo argumento nobis esset docentibus, lacunam ponendam esse non in fine secundi libri, sed post caput alterum et vicesimum, ubi Caesar se Romam profectum esse dicit. Confer App. II, 47 et 48.

16) Hic sufficiat comparare Caesaris verba (I, 5, 5) cum Plutarcho (Anton. 6), cuius auctorem Asinium Pollionem fuisse manifestum est. Caesaris litteras non lenissima, ut in commentariis (l. c.) dicitur, postulata continuisse, sed minaces et acerbas fuisse et Appianus (II, 32) et Cicero (ad fam. XVI, 11, 2) docent.

raverat, ad discrimen ventum est. Postquam primis diebus, quaecumque in senatu acta erant, tribunis plebis intercedentibus ad irritum ceciderunt, ante diem septimum Idus Ianuarias senatusconsultum, quo magistratus operam dare iussi sunt, ne quid respublica detrimenti caperet, post acerrimas altercationes perlatum est. Quare tribuni plebis, qui Caesaris partium erant, periculo circumventi statim proxima nocte ad ducem suum profugerunt [17]). Interea ad senatum, qui sequentibus diebus (i. e. a. d. VI et V Idus Ianuarias) extra urbem habetur, de belli apparatu refertur. Tota Italia delectus instituere, omnia aeraria publica Pompeio in usum tradere, provincias sorti permittere decernunt. Quae decreta res confestim sequitur: consules ex urbe proficiscuntur [18]), tota Italia delectus habentur, pecuniae undique exiguntur.

Quibus de rebus Ravennae certior factus Caesar cohortes ad contionem convocavit iisque ostendit, non solum se ipsum ab ingratis inimicis, sed etiam sacrosanctos tribunos plebis contra patrum instituta ac leges nefarie [19]) offensos oppres-

---

17) Cum Caesare (I, 5, 5) confer imprimis Appianum (II, 33).

18) Tantum abest, ut cum Nipperdeyio („Quaest. Caes". p. 132) in Caesaris enunciato (I, 6, 7) „consules — quod ante id tempus accidit numquam — ex urbe proficiscuntur" interpolata esse censeamus verba interposita, ut cum Mommsen („Rechtsfrage" etc. p. 30—31) saepius in discrimine reipublicae accidisse doceat, ut consules, dum munere fungebantur, praeter morem et consuetudinem ex urbe egrederentur, illa verba maxime idonea esse nobis videantur, quae illustrent, quomodo Caesar inimicorum suorum perstringendorum causa veritatis fide parum servata res in maius extollere soleat.

19) Nescio an in Caesaris oratione, qua Lentuli excusationes interpellat (I, 22, 5), pro verbis: „tribunos plebis in ea re ex civitate expulsos" — legendum sit: „tr. pl. nefarie ex civ. expulsos", ut Ludovicus Mendelssohn sagacissime coniecit (in Museo Rhenano 1881, p. 303.). Confer notam 29.

sosque esse. Quare illi, qui suis auspiciis tot annos bellum gloriose gessissent, etiam tum se sequerentur et communes inimicos pro iniuriis acceptis ulciscerentur. Laetitia exsultantes fortissimi milites paratos se esse conclamant atque extemplo Ariminum profecti tribunos plebis, qui eo confugerant, conveniunt. — Haec hactenus Caesar (I, 1—8). Veniamus nunc ad ceteros scriptores videamusque, quibus de rebus discrepent cum illo.

Si ipsam Caesaris expositionem diligenter examinaverimus, duabus potissimum rebus offendamus necesse est: prima, quod Caesar consulto et cogitate indiligentia usus ita, quae acciderunt, enarrat, ut non post nuntium de tribunorum plebis fuga allatum, qui eius militibus indoctis utique firmissimo iniuriae Pompeianorum testimonio esse potuit, sed cognitis demum rebus, quae proximis diebus (i. e. minimum a. d. VI et V Idus Ianuarias) in urbe atque extra urbem gestae erant (cf. Caes. I, 7, 1), milites convocasse et oratione habita ad bellum incitasse videri possit[20]); altera, quod Caesar, cum iam antea in contione, quam Ravennae se habuisse dicit, legionariorum suorum animos iniuriam a tribunis plebis acceptam demonstrans in rabiem accendisset, paullo post tamen Arimini demum Antonium et Cassium convenisse se docet. — At unde tandem cognovit Caesar tribunos plebis Roma effugisse, si ii, qui dubitari non potest, quin quam maximis itineribus ad imperatorem postulatis suis responsa exspectantem profecti sint, nondum Ravennam pervenerant? Neque enim ea quaestio persolvitur coniectura, qua forsitan quispiam collegerit illos Arimini constitisse atque inde Caesarem de rebus gestis fecisse certiorem. Quae coniectura cum

---

20) Caesar I, 7, 1: „Quibus rebus cognitis Caesar apud milites contionatur". Verba „quibus rebus cognitis" pertinent ad res I, 6 expositas, quae post fugam tribunorum plebis acciderunt. Neque dubitari potest, quin longioris temporis fuerit tota Italia delectus habere, arma imperare, pecunias a municipiis exigere, e fanis tollere (cf. I, 6, 8).

per se minime probabilis est, tum prorsus repudianda erit, simulatque ea, quae ceteri scriptores de his rebus tradunt, cum Caesaris narratione comparaverimus atque mutuo examinaverimus. — Secundum commentarios Caesarem apud milites contionatum esse Ravennae vidimus. At contra Cassius Dio (XLI, 4, 1) planissime docet eum Arimini demum milites ad contionem convocasse neque prius ipsum adhortatum esse eos, quam Curionem tribunosque plebis productos monuisset, ut narrarent, quae Romae gesta quaeque iniuriae ab ipsis ibi acceptae essent.

Cum Dione plane consentiens Orosius (VI, 15, 3 ed. Zangem.): „Caesar, inquit, Rubicone flumine transmeato mox, ut Ariminum venit, quinque cohortes [21]), quas tunc solas habebat, cum quibus, ut ait Livius, orbem terrarum adortus est, quid facto opus esset, edocuit. Deplorans iniurias suas, causam belli civilis pro restituendis in patriam tribunis esse testatus est“. — Etiam magis atque apertius a commentariis abhorret Eutropius (VI, 19 ed. Hartel), qui rem sine fuco narrans: (Caesar) „Arimino, inquit, ubi milites congregatos habebat, adversum patriam cum exercitu venit“. — Quibus scriptoribus si adiecerimus etiam Lucanum (I, 236—387 ed. Weber), qui ut semper adhibita quadam in dicendo specie

---

[21]) In medio relinquendum est, utrum is numerus recte traditus sit an corruptus. Utcumque res erit, utique permanere debemus in Asinii Pollionis, qui illis rebus interfuit (cf. Appian. II, 32 et 34; Plut. Caes. 32 et Pomp. 60), et ipsius Caesaris (I, 7, 7) testimoniis, quibus apparet eum Ravennae, priusquam Rubiconem transiret, iustam legionem (quinque milium peditum) et trecentos equites secum habuisse. — Quod ad quinque cohortes attinet, quas Orosius commemorat, hic auctore suo non recte intellecto in eum errorem inductus esse mihi videtur, ut, cum apud Livium legisset quinque cohortes a Caesare Ariminum praemissas esse (cf. App. II, 35; Plut. Caes. 32; Suet. div. Iul. 31 cum iis, quae infra exponemus), eum numerum totius exercitus Caesaris fuisse putaret.

atque pompa altius assurgere et carmini suo poeticum habitum induere conatur, ita et plerumque poetarum more neglecto auctorem suum in omnibus, quae gravissima sunt, accuratissime reddit et hoc loco cum Dione, Orosio, Eutropio plane consentit, Livii narrationem satis bene restituere atque ex ea cognoscere possumus, tribunos plebis, cum Roma effugissent, ad Caesaris exercitum iam Ravenna profectum properasse, Arimini eum convenisse (cfr. Lucan. I, 268—269: „Hos [i. e. tribunos pl.] iam mota ducis vicinaque signa petentes Audax venali comitatur Curio lingua"), contioni a duce convocatae res in urbe gestas exposuisse, ipsi Caesari occasionem dedisse militum alacritatis oratione accendendae[22]).

Cui narrationi Livii narratio Asinii plane contraria esse videtur. Neque tamen res ex prima fronte diiudicanda est, sed diligentius examinanda. Quod si fecerimus atque maxime Appianum et Plutarchum cum Suetonio comparaverimus, facile cognoscere possumus, illos Graeculos adeo pugnantia loqui, ut non dubium sit, quin summa indiligentia usi auctorem suum prorsus depravarint. Ac quidem Appianus (II, 33 extr. et II, 35 initio) rem ita exponit, ut tribunos plebis, cum Roma effugissent, Caesarem convenisse Ravennae ibique ab eo militibus ostentatos esse putes. Idem colligi posse videtur ex

---

22) Etiam ex verbis Dionis (XLI, 4, 1 initio: *πυθόμενος οὖν ταῦτ' κ. τ. λ.*) prima specie colligi posse videtur, Caesarem cognitis demum rebus, quae ex ante diem septimum Idus Ianuarias in urbe atque extra urbem gestae erant, Ravenna profectum et Rubiconem transgressum esse. Neque tamen res ita se habuisse potest. Immo vero qui diligenter Dionem inspexerit, facile cognoscet eum et aliis locis et hoc loco parum accurate servasse temporum ordinem nescio an eo commotum, ne rerum contextum continuationemque dissolveret. — Mea quidem opinione res aliter se habere nequit: aut Caesar nuntio de tribunorum fuga allato non moratus exercitum Ravenna movere debuit — nec tamen id fecit — aut iam antea, — atque in eam sententiam disputat Livius — Ariminum profectus erat.

Plutarchi narratione (Anton. 5 extr.), qui totam hanc partem vitae Antonii non servato temporis ordine tam neglegenter scripsit, ut cum iis, quae ipse in vita Pompei (c. 58 seq.) de iisdem rebus enarrat, discrepet [23]). At contra Suetonius (div. Iul. 31 et 33), cuius auctorem eundem Asinium fuisse inter omnes constat, planissime docet Caesarem transito demum Rubicone (id est Arimini) tribunos convenisse. — Itaque mea sententia dubitari non potest, quin, cum Caesar et Livius plane inter se consentientes nihil haberent, cur de hac re falsa dicerent, etiam Asinii narratio incorrupta extet apud Suetonium, non apud Appianum aut Plutarchum, ideoque iis tantum fides habenda sit, qui Caesarem, cum tribunos conveniret, iam Arimini fuisse ibique demum apud milites contionatum esse tradunt. — Hac quaestione soluta unus nobis restet scrupulus dubiique simus necesse est, utrum Caesar re vera cognita demum tribunorum fuga Rubiconem traiecerit an etiam in hac re exponenda a veritate deflexerit. Lucanus quidem, ut supra commemoravimus, Livii narrationem reddens cum toto orationis contextu tum disertis verbis tribunos „iam mota ducis vicinaque signa“ petiisse docet. In eandem sententiam Eutropius (VI, 19) Caesarem Arimino, ubi milites congregatos haberet, adversum patriam cum exercitu venisse tradens disputare videtur [24]). Ceterorum quidem scriptorum plerique plus minusve aperte significant Caesarem de tribunorum fuga certiorem factum esse Ravennae [25]). Sed

---

[23]) Quam nihil Plutarchus ab temporum erroribus caverit, vel eo apparet, quod a Caesare primum Romam occupatam et tum demum Pompeium ex Italia expulsum esse tradit (Anton. 6. — Idem error etiam in vita Pompei (cap. 62) extat).

[24]) Etiam minus dilucide rem exponunt Plutarchus (Caes. 31 extr.— 32 init. et Pomp. 59 extr. — 60 init.), Velleius Paterculus (II, 49, 4), epitomator Livii (periocha 109), Florus (II, 13: „prima Arimino signa cecinerunt“).

[25]) Plut. Anton. 5 (cf. Zonar. X, 7); Appian. II, 33. — Sueton. div. Iul. 31; Dio 41, 4, 1. — (Caes. I, 7, 1).

tamen iidem omnes praeter Appianum et Plutarchum rem ita exponunt, ut Caesar, priusquam infestis signis in Italiam proficisceretur, etiam res proxime tribunorum fugam in urbe gestas oppertus esse videatur. Quod nullo pacto fieri potuisse supra docuimus. Si Caesar re vera de tribunorum fuga certior factus esset Ravennae, nullum diem praetermittere debuit, quin inimicos suos celeritate praeventurus oppressurusque [26]) in Italiam invaderet. Itaque cum plerique scriptores hanc rem aliter describant et Caesarem Ravennae diutius manentem faciant, omnino temporum ordinem ab iis depravatum ac praepostere traditum esse censeo. Neque difficile est ad intellegendum eos ad eiusmodi errorem per imprudentiam esse inductos eo, quod singularum rerum contextum primum a Pompeianorum parte in urbe atque extra urbem, deinde in Caesaris adversarii castris gestarum dissolvere veriti omnia generatim et summatim et continua oratione quam discissa exponere maluerunt [27]).

Secundum ea, quae Appianus (II, 35), Plutarchus (Caes. 32 et Pomp. 60; — cf. Zonar. X, 7), Suetonius (div. Iul. 31—32) ex narratione Asinii Pollionis, qui bello civili exorto ipse in Caesaris castris versabatur, tradunt, Caesar Ravenna complures centuriones Hortensio duce cum manu fortissimorum militum [28]), qui ne cruentos tumultus excitarent, pacato

---

26) Ea belli gerendi ratione Caesarem cum antea in Gallia tum illo tempore usum esse recte monent Plutarchus (Caes. 32; Pomp. 60) et Appianus (II, 34: *ὁ δὲ Καῖσαρ... χαίρων δ' ἀεὶ ταχυεργίας τε ἐκπλήξει καὶ φόβῳ τόλμης μᾶλλον ἢ παρασκευῆς δυνάμει, μετὰ τῶν πεντακισχιλίων ἔγνω προεπιχειρεῖν τοσῷδε πολέμῳ καὶ φθάσαι τὰ εὔκαιρα τῆς Ἰταλίας*).

27) Haec maxime ad Caesarem pertinent, qui omnino veritatis ratione parum habita tamquam ex alto spectans de universis rebus, non de singulis narrare consuevit ideoque saepius, ut infra demonstrabimus, temporibus errat (confer I, 14, 1 cum I, 10, 1; I, 24, 1; alias).

28) Haud scio an eorum numerus explerit cohortes quinque (cf. Eutrop. VI, 19 et quae supra (nota 21) de hac re commemoravimus).

habitu neque ullis armis ornati erant nisi pugionibus, Ariminum praemisit subito atque ex improviso oppidum occupaturos. Ipse cum reliqua parte exercitus Ravennae remansit atque, ne qua suspicio moveretur, apparatis epulis suos accepit. Sub vesperam autem e convivio digressus, cum nonnullis familiaribus imperasset, ut reliquas copias ipso demum profecto paullatim atque diversis itineribus educerent, cum paucorum tantum eorumque amicissimorum comitatu — quo in numero etiam Asinius fuit — ad Rubiconem contendit. Quod ad flumen cum pervenisset, in eius ripa, tamquam reputans quantum moliretur, animo fluctuaret, paullisper constitit atque ad comites conversus: „hic transitus, inquit, properatus omnibus hominibus, dilatus mihi multorum malorum erit initium“. Quibus dictis animum collegit atque aleam iactam esse exclamans flumen traiecit properaturus Ariminum.

Hanc habemus integram omnibusque lenociniis, quae postea (ut apud Suetonium) afficta sunt, carentem narrationem Asinii, cuius de fide adversus Drumanni sententiam („Gesch. Roms“ III, 420) minime dubitare possumus. Immo enimvero eam cum ipsis rebus maxime congruere iudico. Quod Caesar cum tanta prudentia, cautione, occultatione propositum aggressus est, quod magna pars exercitus eius, quo proficiscerentur, celata est, denique quod milites praemissi, ut sine ullo tumultu Ariminum occuparent, pacato habitu ornati erant — haec omnia planissime ostendunt, Caesarem illo tempore nondum habuisse eam fiduciam, quam prae se tulit, cum primum animos militum ad iniurias, quas tribunis illatas esse dixit[29]), ingeniose animadvertere itaque ad alacritatem studiumque pugnandi incitare potuit.

---

[29]) Re vera tribunos plebis nulla iniuria affectos esse concedes, si memineris in omni periculo discrimineque rei publicae penes patres fuisse senatusconsultum ultimum facere eoque summis magistratibus tantam permittere potestatem, quanta iis aliter sine populi iussu esse non potuit (cf. Sall. de coniur. Cat. 29, 2—3). Itaque Caesar hic

Secundum Itinerarium Antonini, si quis via Flaminia iter faciebat Romam profecturus, ab Arimino CCXXI, a Ravenna CCLIV milia passuum decurrenda ei erant [30]). In tanta distantia si reputaveris, quam neglegens fuerit reipublicae temporibus atque incompositum institutum cursus publici, facile intelleges certum nuntium, etiam si per veredarios perferretur, non citius quam tribus diebus Romam pervenire potuisse [31]). Quod si per Caesarem (I, 14) nec non per Ciceronem

quoque veritatis fidem parum servat, cum indignatum se esse simulans: „decurritur, inquit (I, 5, 3), ad illud extremum atque ultimum senatusconsultum, quo nisi paene in ipso urbis incendio atque in desperatione omnium salutis senatorum audacia numquam ante descensum est". — Quam perversam senatusconsulti ultimi descriptionem Caesar etiam magis exacuit atque in peius vertit, cum apud milites suos rusticos contionatus est (I, 7, 3—5). Confer etiam illam Caesaris orationem, qua Lentuli Spintheris excusationes interpellans tribunos plebis nescio an nefarie expulsos esse dixerit (cf. not. 19). — Immo enim vero dubitari non potest, quin tribuni plebis nulla vi expulsi (cf. Cic. ad fam. XVI, 11, 2) ideo tantum ex urbe effugerint, quod senatusconsulto ultimo facto, cum iam in hostium togatorum numero putarentur, diutius Romae tute esse nequiverunt (cf. imprimis Cic. l. c; Philipp. II, 52—53. — App. II, 33. — Dio XLI, 3, 2. — Cum iis scriptoribus tantum prima specie non consentiunt Plutarchus (Caes 31; Anton. 5), Livii epitomator (Epit. 109), Orosius (VI, 15, 2).

30) Itinerar. Anton. p. 124—126 ed. Wesseling.

31) Ne plura dicam, quae illos calculos tibi probent, conferas velim imprimis Caes. I, 3, 6, quo loco L. Piso censor et L. Roscius praetor Caesaris de rebus in urbe duobus primis diebus Ianuarii mensis actis docendi causa se Ravennam profecturos esse polliciti sex dies ad itum reditumque conficiendum spatii postulasse dicuntur. Eam celeritatem summam fuisse intelleges, si memineris Caesarem non prius quam ante diem IX Kalendas Febr. de Pompeianorum ab urbe discessu a. d. XIV et XIII Kalend. Febr. confecto certiorem factum esse (cfr. Cic. ad. Atl. VII, 17, 3). Cetera confer exempla apud Fried-

(ad Att. VII, 10. IX, 10, 4) aliosque scriptores (Dio XLI, 6.—Plut. Pomp. 61. Caes. 34.—App. II, 37) Pompeium et consules cum suis a. d. XIV et XIII Kalendas Februarias allato Ariminum, Pisaurum, Fanum, Anconam, Arretium a Caesare occupata esse (cf. Cic. ad fam. XVI, 12, 2 et ad

---

laenderum („Sittengeschichte Roms" II^5, 17—19) et Bardtium („Quaestion. Ciceron." (Berol. 1866), p. 20). — Rectissime coniecit Schweighaeuser (in Appiani editione, III, 743) vulgatam illam lectionem codicum Appiani (II, 32, quo loco de celeritate Curionis cum Caesaris litteris ad senatum scriptis Romam proficiscentis narratur): *τρισὶν ἡμέραις τριακοσίους ἐπὶ τρισχιλίοις σταδίους δραμών* (cod. Vaticanus (V) a Mendelssohnio in editione sua Appiani collatus exhibet: *τρ. ἡμ. τρ. ἐ. χιλίοις στ.* [ut Gesenius coniecit] et *διαδραμών)* depravatam esse ac potius scribendum: *τρισὶν ἡμ. τρ. ἐπὶ δισχιλίοις στ.* Nam ex Hirtio (bell. Gall. VIII, 55, 1), Suetonio (div. Iul. c. 30 init.), Appiano (II, 32 init.) efficitur, Caesarem Gallia transalpina relicta Alpibusque superatis ineunte Decembri mense anni a. u. c. 704 cum una legione in Galliam cisalpinam profectum ibique lente et paullatim (nescio an propter conventus peragendos — cf. Suet. l. c.) usque ad Ravennam progressum esse, unde commodius, quae res Romae agerentur, observare atque, ubi tempus esset, ad gerendum paratus Italiae bellum inferre posset. Ac quidem Caesar ad id tempus iter faciebat Ravennam versus (cfr. Appian. l. l.: *ἀπὸ Κελτῶν τῶν ἀμφὶ τὸν Ῥῆνον τὰ ὄρη τὰ Ἄλπεια διελθὼν σὺν πεντακισχιλίοις πεζοῖς καὶ ἱππεῦσι τριακοσίοις κατέβαινεν ἐπὶ Ῥαουέννης, ἣ συναφής τε ἦν τῇ Ἰταλίᾳ καὶ τῆς Καίσαρος ἀρχῆς τελευταία)*, cum Curio, qui paucis diebus post, quam Marcellus consul arbitratu suo Pompeio summum imperium mandaverat eumque contra Caesarem ire et pro patria pugnare iusserat, iam sibi ipsi metuens dignitatique Caesaris amplius servire se posse desperans tribunatus sui tempore (a. d. V Idus Decembres anni a. u. c. 704) exacto ex urbe egressus erat, ducem suum convenit (circiter medio Decembri — cfr. App. II, 31 extr. nec non ea, quae infra (nota 34) dicemus) eumque depoposcit cohortatusque est, ne diutius cunctaretur, sed extemplo atque improvisus inimicos

Att. VII, 11, 1. IX, 10, 4. — Caes. I, 14, 1—3. App. II, 37. Dio 41, 6) ex urbe discessisse certiores facti tres tantum dies ducimus, quibus ille nuntius Romam perferri Pompeianosque terrore percussos ad fugam impellere potuerit, hoc efficitur manifestumque est, illa oppida a Caesaris militibus a.

---

suos armis praeveniret opprimeretque. Quo consilio non probato Caesar, quae eius prudentia erat a simulatione haud aliena, de pace sibi experiendum esse arbitratus postulata sua adeo coërcuit, ut contentum se fore diceret, si ceteris provinciis legionibusque traditis solas duas legiones cum Gallia cisalpina et Illyrico, donec consul crearetur, retinere sibi liceret. Cum iis condicionibus litteras ad amicos Romam misit cohortatus eos, ut inimicis suis persuaderent, ut illas acciperent. Neque tamen inceptum successit. Nam ut Pompeius postulatis Caesaris acquievit, ita consules omni contentione iis obstiterunt atque effecerunt, ut Caesar, cum de rebus Romae actis certior factus esset (circiter a. d. VI Kalendas Ianuarias), iam de belli necessitudine dubitare non posset. Aderat tandem tempus rei gerendae, atque unice profecto Caesar eo utebatur. Tamquam bellum senatui indicturum Curionem cum extremis condicionibus suis Romam misit, ipse cum iam haud longe a Ravenna abesset, in id oppidum, quod Italiae contiguum in suaque provincia extremum esset, pervenire festinavit.

Haec argumenta si intuemur — omitto enim tantam celeritatem, quanta Curio *τριακοσίους ἐπὶ τρισχιλίοις σταδίους* confecisse putetur, per se plane incredibilem esse — satis apparere mihi videtur, Appiani codicum vulgatam illam lectionem falsam esse. Nam ubi terrarum Caesarem moratum esse dicamus, unde Curioni Romam petenti tot stadiorum spatium decurrendum esset? Nempe in septentrionali parte Galliae cisalpinae. O perversitatem eius opinionis! Nonne Caesar iam ineunte mense Decembri eo pervenerat? An existimas eum cum legione sua ibi compressis, quod aiunt, manibus sedisse ac periculi sibi imminentis oblitum ad confinium provinciae suae Ravennam versus progredi omisisse? Immo enim vero dubitari non potest, quin et illa vulgata et codicis Vaticani lectio reicienda sit atque L. Mendelssohn suo iure

d. XVI Kalendas Februarias demum prorsus recepta esse atque occupata. Quantum vero temporis Caesar ad eas res prospere gerendas adhibuerit, cum apud scriptores traditum non sit, sane difficile est dictu neque colligi potest nisi coniectura. Ac quidem hoc minime dubitandum esse mihi videtur, Caesarem, cum Ariminum profectus unam tantum legionem secum haberet, eo oppido occupato non cursu, sed lente et paullatim progredi potuisse neque prius, quam finitima praesidia (i. e. Pisaurum, Fanum, Anconam) recepisset, dimidium copiarum suarum M. Antonio duce ad occupandum Arretium dimittere ausum esse. Quodsi porro considerabimus, quantum temporis spatium praeterierit, quoad Caesar quamvis celeritate insignis atque maioribus copiis firmatus ad Corfinium eoque oppido recepto ad Brundisium perveniret, nostro iure contendere poterimus, eum initio belli ab Arimino, ubi stativa posuerat, non celerius quam sex septemve diebus Pisaurum, Fanum, Anconam, Arretium firmis praesidiis occupavisse.

Iam revertamur ad illum locum apud Caesarem extantem (I, 5, 4—5), quo tribuni plebis a. d. VII Idus Ianuarias sub nocte Roma effugisse dicuntur. Qui cum ducem suum certiorem facere vellent, Pompeianos nihil nisi bellum cogitare eumque (Caesarem) iam omnes nervos in eo intendere debere, ut inimicos suos praeveniret atque opprimeret, non dubium esse potest, quin quam maximis itineribus ad eum properaverint atque iam a. d. IV Idus Ianuarias Arimini eum convenerint.

Schweighaeuseri coniecturam „τριακοσίους ἐπὶ δισχιλίοις σταδίους“ in ipso contextu posuerit.

Iam secundum Itinerarium Antonini, numerorum summam si ineas, qui pag. 124—127 ed. Wessel. exhibentur, CCXCIX milia passuum (sive plus MMCCLXII stadia) Bononia, CCCXXIV milia passuum (sive MMCCCCXXX stadia) Mutina distat ab urbe. Ex quo efficitur — id quod optime cum omnibus supra dictis convenit — Caesarem, cum Curionem Romam mitteret, iam prope Bononiam fuisse.

Hunc igitur in modum calculis singularum dierum subductis omnes res aptissime convenire videmus adducimurque, ut illam Nipperdeyi et Hofmanni sententiam, qua Caesar etiam post tribunorum pl. adventum universum biduum Ravennae segniter moratus pridie Idus Ianuarias demum noctu Rubiconem transisse et postero die (Idibus Ianuariis) Ariminum occupavisse putatur, ut ne uno quidem argumento probatam, quin etiam absurdam repudiemus. Immo enim vero Caesarem, cum ex superiorum dierum nuntiis Roma sibi allatis providere potuisset, quo senatus rem deducturus esset quantumque periculum tribunis sibi amicis impenderet, iam prius quam a. d. IV Idus Ianuarias trans Rubiconem copias traiecisse atque Arimini illos exspectaturum constitisse, ut demonstremus, nobis proposuimus.

Senatu duobus primis Ianuarii diebus habito, cum Caesaris extremae condiciones repudiatae atque minis Pompeianorum plerique infirmiores perterriti essent, omnes Scipionis sententiam secuti erant: ut Caesar ante certam diem exercitum dimitteret; si non faceret, eum contra rempublicam facturum videri atque in hostium numero esse putandum. Intercesserant quidem tribuni pl. Caesari amici ei senatusconsulto, quo iniquissime efficeretur, ut unus Pompeius non tantummodo adversarium suum, verum omnes antecederet (Caes. I, 2, 6—8. Dio XLI, 2, 1—2). Sed tamen extemplo de tribunorum intercessione relatum atque multis gravibusque sententiis dictis (Caes. I, 2, 8. Dio XLI, 3, 1) eo descensum erat, ut nova Caesaris amicorum intercessione neglecta senatores vestem lugubrem induerent[32]) et deinde deliberarent, quomodo

[32]) In medio relinquendum est, utrum Cassium Dionem (XLI, 2, 2–3, 1: *ἔδοξε μὲν οὖν ταῦτα* (ut Caesar exercitum dimitteret), *οὐ μὴν καὶ κυρωθῆναί τι αὐτῶν οὔτε ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ* (i. e. Kalendis Ianuariis) *οὔτε ἐν τῇ ὑστεραίᾳ ὅ τε Ἀντώνιος καὶ ὁ Λογγῖνος ἐπέτρεψαν. ἀγανακτησάντων δὲ ἐπὶ τούτῳ τῶν ἄλλων καὶ ψηφισαμένων τὴν ἐσθῆτα ἀλλάξασθαι, κῦρος μὲν οὐδὲ τοῦθ' ὑπὸ τῶν αὐτῶν ἔλαβεν,*

in illos contumaces vindicare possent (Dio 41, 3, 1). Itaque sequentibus diebus (i. e. a. d. III et pridie Nonas Ianuarias) tribuni, centuriones, evocati ex veteribus Pompei exercitibus arcessiti totam urbem et ipsum comitium compleverant; atque mox omnia adeo bello instanti strepebant et undique vis terroresque impendebant, ut Caesarianis iam haud incertum relinqueretur nec se diutius tutos fore nec pacem servatum iri. Quae cum ita essent, facere non possum, quin eos iam tum (i. e. circiter pridie Nonas Ianuarias) de omnibus rebus diligentissime ad Caesarem scripsisse atque eum, ubi litteras eorum accepisset, haud diu moratum, ut inimicos suos necopinato impetu terreret et faciliores paratioresque ad concedendum reddere conaretur, aut a. d. VII Idus Ianuarias aut a. d. VI Id. Ian. sub vesperum Ravenna profectum et, ne nimis gravis machinator belli videretur, milites suos pacato habitu ornatos in occupando Arimino (a. d. VI aut V Id. Ian. primo mane) summa lenitate uti iussisse existimem. Nam etsi cum ea temporum descriptione, ad quam tota haec disputatio spectavit, unum illud, quod Plutarchus (Caes. 35 et Pomp. 63) Caesarem Pompeio ex Italia expulso Brundisioque recepto sexaginta dierum spatio tota Italia potitum esse dicit, plane discrepare videtur, id tamen osten-

---

ἡ μέντοι γνώμη συνεγράφη καὶ τὸ ἔργον τὸ ἀπ' αὐτῆς ἐγένετο· πάντες γὰρ παραχρῆμα ἐξελθόντες ἐκ τοῦ συνεδρίου καὶ τὴν στολὴν μεταβαλόντες ἐσῆλθον αὖθις καὶ περὶ τιμωρίας αὐτῶν ἐβουλεύοντο) et Plutarchum (Caes. 30 extr. Pomp. 59 init.) secuti illam senatus auctoritatem a. d. IV. Nonas Ianuarias perscriptam esse, an ex eo, quod Cicero (ad fam. XVI, 11, 2) sibi ad urbem accedenti pr. Non. Ian. obviam sic esse proditum dicit, ut nihil posset fieri ornatius, vestem a senatoribus Nonis demum mutatam esse colligere debeamus. Ut enim illorum scriptorum indiligentiam, huius fidem respicienti mihi probabilior esse videtur haec sententia, — nisi qui forte ambas inter se conciliari posse putat — ita totam rem levioris esse momenti facile concesseris, quam ut pluribus verbis in ea commoremur.

dam tantum abesse, ut Nipperdeyi et Hofmanni rationibus fidem facere possit, ut contra re diligentius perspecta nostros calculos plane probet. Ac quidem reputantes nos, quis fuerit dies, ex quo Caesari usque ad Brundisium occupatum, i. e. ad ante diem XV Kalendas Apriles, circumactum sit illud sexaginta dierum spatium, cum consideraverimus Februarium mensem duodetriginta dies, Ianuarium mensem habuisse undetriginta [33]), ex eo, quod tali ratione inita Caesarem Rubiconem noctu transgressum a. d. XV Kalendas Febr. mane Ariminum occupavisse efficitur, facile intellegemus aut Plutarchum, in Caesaris rebus enarrandis temporisque ordine servando neglegentissimum, erravisse dierumque numerum falso computavisse aut codicum lectionem depravatam esse. Itaque pro *ἑξήκοντα (ξ')* legendum esse censeo: *ἑβδομήκοντα (ο')*. Qui numerus cum iis calculis, quos supra exhibuimus, optime convenit. Nam si Caesarem Rubicone traiecto a. d. VI (aut a. d. V) Idus Ianuarias mane Ariminum pervenisse ponamus, inter id oppidum et Brundisium occupatum duodeseptuaginta (aut sexaginta septem) dies, vel si eum numerum expleamus, septuaginta dies interfuisse manifestum est.

Sed haec hactenus. Reliquum est, ut omnia, quae adhuc de belli civilis initio diximus, tamquam una comprehensione complexi sub unum aspectum subiciamus atque etiam maiorem fidem iis facere conemur. Longe enim abest, ut me praetereat, quam pauca sint mea argumenta quamque exigua. Neque tamen id mihi soli in culpam convertendum esse censeo, sed potius iis scriptoribus, qui nulla fere singularum rerum ordinis ratione habita partim consulto partim per neglegentiam tam obscure scripserunt illorum temporum histo-

---

33) Per se intellegitur singulorum mensium dies a nobis semper numeratos esse ex ratione fastorum nondum a Caesare correctorum. (Cfr. Fischer: „Röm. Zeittaf.“ et Mommsen: „Röm. Chron.“). Quam rationem quod Hofmann nusquam observavit, vehementer reprehendendus est.

riam, ut nos vel maxima opera consumpta in tantis offusis tenebris nihil fere illuminare possimus nisi coniecturarum quasi facibus quibusdam.

Sed iam audio opponentes mihi omnem argumentorum meorum summam per se minime esse probabilem, quod Caesar, si re vera tribunorum fuga nondum cognita Rubiconem transgressus Ariminum occupavisset, sane stulte et imprudenter inimicis suis illaturus fuerit eam iniuriam, qua ipsum ab iis affectum esse postea questus sit. At mehercule, qui isto modo ratiocinantur, nimis argute mihi et morose existimare videntur de ea contentione ac controversia, quae inter Caesarem et senatum Pompeiumque erat. Iam dudum enim ea cum illius damno atque iniuria ita Romae disceptata erat, ut omnibus persuaderetur, nulla re turbas finiri posse nisi armis. Ex illo ipso die, quo Marcellus consul suo arbitratu contra leges Pompeium pro patria cum hoste pugnare iussum toti Italiae praefecerat, Caesar, si quidem iniuriam iniuria, vim vi rependere non verebatur, in adversarios bellum sibi indicentes vindicare atque ius suum armis exsecuturus quam celerrime eos opprimere intenderet oportebat. Neque profecto diutius moram fecit. Statim tumultu exorto [34]) cum legione XIII, quam trans Alpes traduxerat, ex parte septemtrionali Galliae cisalpinae ad Ravennam versus procedens viginti duarum cohortium delectum provincialem haberi (bell. civ. I, 18, 5), legiones XII et VIII (l. c. I, 15, 3; 18, 5) ex Gallia transalpina evocari iussit. Interea ut spatium intercederet, dum eae appropinquarent et milites tirones perpetuis exercitiis ad Romanae disciplinae formam redigerentur, etiam tunc de pacis condicionibus cum senatu agebat, non quo eam

---

[34]) Quod ineunte Decembri accidisse ex Appiano (II, 31), Plutarcho (Pomp. 59), Dione (XL, 64, 4; 66, 2—3), Hirtio (bell. Gall. VIII, 55) efficitur. — Confer notam 31 et Caes. bell. civ. I, 7, 6: [legionem XIII] „initio tumultus evocaverat“.

aut cuperet aut speraret — omnes enim adversariorum suorum sensus cognitos habebat quantaque essent eorum odium, invidia, inconstantia perspexerat — sed quia et eos decipere ac producere et se populo Romano pacis amantissimum et ut acerbissimis iniuriis affectum ita indulgentissimum patientissimumque videri volebat. Itaque per simulationem tantum exeunte mense Decembri per Curionem litteras cum extremis condicionibus suis ad senatum misit. Quibus repudiatis — id quod iam a. d. IV Nonas Ianuarias decretum est—aleam iactam atque tandem in apertum discrimen sibi evadendum esse arbitratus Caesar ne unum quidem diem post nuntium acceptum intermittere debuit, quin initium faceret armorum Rubiconemque transgressus in Italiae fines invaderet. Quod ab eo circiter a. d. VII Idus Ianuarias factum esse, ex eo efficitur, quod tribuni plebis Caesari amici, cum ipsi in periculo imminenti quam diutissime adversariorum decipiendorum causa in urbe remanere vellent, non ilico illum de rebus Romae actis certiorem facere potuerunt [35]). Nulla igitur ratio est, mea quidem sententia, dicere tribunorum fuga demum Caesari suppeditatam esse causam belli. An ille summus arbiter constitutus erat, qui contra reipublicae maiestatem paucorum tribunorum patronum se praebere eosque defensurus totam civitatem armis evertere posset? Scilicet in commentariis suis Caesar non desinit gloriari se tantum tribunorum restituendorum causa bellum suscepisse. Atqui de eo ipso reprehendendus est scriptor, quod in exponendo bello civili parum veritatis ratione habita id unum egit, ut suas res gestas quam diligentissime coloraret legentibusque commendaret, de inimicis suis nihil loqueretur nisi, quod sequius esset. Quo studio commotus Caesar historiam temporum suorum adeo depravavit, ut cum plerique ceterorum scripto-

---

[35]) Quam rem ipse Caesar, etsi in maius extollit, his tamen verbis plane significat: „nec docendi Caesaris propinquis eius spatium datur“ (I, 5, 1).

rum non tam consulto quam per indiligentiam res nonnumquam obscure et perperam tradiderint, illius narrationem examinare saepius magnam habeat difficultatem eoque maiorem, quo occultius, elegantius, ingeniosius Caesar mentiri scit quoque magis pro prudentia sua et humanitate abhorret a mendaciis impudentibus. Quod ut vere a nobis dictum videatur, non solum ea, quae supra de Caesare iam Ravennae idque tribunorum fuga cognita contionantem se fingenti aliaque commemoravimus, sed etiam haec cum animo consideres velim, quae nunc de rebus ab illo sequentibus commentariorum capitibus I, 8—11 et 14 expositis quam diligentissime disputaturi sumus.

Ac primum valde dolendum est, quod ceteri fere omnes scriptores ne uno quidem verbo eorum mentionem faciunt, quae bello iam exorto a Pompeio cum Caesare de pace acta sunt. Nam ut Dio (XLI, 5—6) ea breviter attingit, ita eius narratio adeo perplexa et indiligens est temporisque ordinem perturbatum habet, ut nulli fere nobis usui esse possit, nedum Caesaris narrationem expleat. Qua in molestia haereremus, nisi Cicero in epistolis suis nonnulla ad Pompei et illius condiciones pertinentia tradidisset, quae nobis non solum commentariorum Caesaris examinandorum ac redarguendorum, sed etiam ipsius rei cognoscendae potestatem faciunt. Ac mehercule, id non parvi aestimandum esse censeo. Tam obscura enim tamque pugnantia loquitur Caesar, ut cum nos sine duce ex tantis difficultatibus evadere non queamus, summo opere miremur ipsum scriptorem in iis non offendisse. An hoc explicare et expedire posse videris, quod ille altero loco Roscium praetorem et L. Caesarem, qui ad se cum Pompei mandatis Ariminum venissent (I, 8), inde reversos Pompeium consulesque Capuae convenisse (I, 10, 1), altero loco consules et Pompeium non prius ex urbe profectos esse dicit (I, 14, 1—4), quam nuntius allatus esset, ipsum eorum condicionibus per Roscium et L. Caesarem ad se perlatis minime placatum Arimino longius progressum esse atque Ar-

retium, Pisaurum, Fanum, Anconam, Iguvium, Auximum occupavisse? — Quibus in rebus exponendis Caesarem non fortuito nec temere, sed eo consilio perturbasse dierum rationem, ut sua facta quam honestissima tegeret praescriptione, facile tibi persuasum iri existimo, si animum adverteris, quam ingeniose sint omnia illa enarrata quamque idonea, quibus legentes adducantur, ut Caesarem tantum novis Pompei postulatorum iniuriis commotum coactumque Arimino progressum esse atque illa, quae supra commemoravimus, oppida occupavisse credant. Re vera longe aliter se habuisse rem, Ciceronis epistolae nos docent. Secundum eas L. Caesar (quem principem pacis interpretem fuisse Cicero significat) per Minturnas profectus (ubi Cicero a. d. VIII Kalend. Februar. mane eum viderat — cf. ad Att. VII, 13 b, 2) Pompeium consulesque a. d. VIII Kal. Febr. Teani convenit atque cum ab iis accepisset, quae ad Caesarem deferri voluerunt mandata (Cic. ad Att. VII, 14, 1), una cum consulibus Capuam contendit, ut etiam, quid reliquis Pompeianis ibi commorantibus de Caesaris postulatis Pompeique responsis placeret, exquirerent. Probatis condicionibus—id quod a. d. VI Kalendas Februarias effectum esse Ciceronis epistola ad Atticum data (VII, 15, 2) ostendit (cf. ad Att. VII, 16, 1 et Caesaris verba duas res confundentia (I, 10, 1—2): „Roscius cum Caesare Capuam pervenit ibique consules Pompeiumque invenit") — pacis interpretes nulla mora interposita ad Caesarem Ariminum profectos esse eoque circiter pridie Kalendas Februarias (quantum ex desperata illa Ciceronis epistola Nonis Februariis ad Atticum (VII, 20, 1) data effici potest [36]) pervenisse in promptu manifestumque est. Restat, ut exquiramus, quando Roscius et L. Caesar cum pri-

[36]) Dubitari non potest, quin Roscius et L. Caesar ad decurrendam tantam distantiam, quanta est inter Ariminum et Capuam, minimum quattuor dierum vel quinque adhibuerint spatium. Quamobrem Hofmannius (ad Caes. I, 11, 4) perperam interpretatus esse mihi vide-

oribus mandatis, quae a Pompeio tum ad urbem moranti acceperant, Roma profecti sint. Qua de re cum ne Cicero quidem mentionem faciat, etsi pro certo affirmare possumus illos acceptis Caesaris mandatis, cum nulla mora esse deberet, quin Teanum (quo pervenisse eos a. d. VIII Kalend. Febr. supra vidimus) proficiscerentur, Arimino, si tardissime, a. d. XII Kal. Febr. discessisse, tamen coniectura tantum colligendum erit, quo fere die illi Roma egressi primum pervenerint in Caesaris castra. Ac quidem Dio (XLI, 5, 1—2), — cuius narrationi, quamvis ea in aliis rebus perplexa sit atque incerta, in hac tamen re per se probabili fidem tribuendam esse censeo — planissime tradit Pompeium, ubi primum intellexisset, et quam parvae ad id essent Caesarisque inferiores suae copiae et quam magna amicorum suorum senatusque mobilitas, timor, cunctatio quamque propensi omnes ad pacem gratiamque cum Caesare reconciliandam, ipsum animi sententiam consiliumque mutavisse et si illi aequas condiciones tulisset, rem ad concordiam adduci posse opinatum metu potissimum impulsum esse, ut L. Caesarem et Roscium cum mandatis Ariminum mitteret. — Haec hactenus Cassius Dio[37]. Cuius narratione perspecta si rerum praeteritarum, quem

---

tur ea, quae Cicero a. d. III. Nonas Februarias ad Atticum scripsit (VII, 19): „ecce tibi III. Nonas Febr. mane accepi litteras tuas, Philotimi, Furnii, Curionis ad Furnium, quibus irridet L. Caesaris legationem: plane oppressi videmur“ cet. Tantum enim abest, ut ea verba demonstrent, Curionem litteras suas ad Furnium misisse post adventum L. Caesaris, ut contra ex eo, quod Cicero, qui tum in Formiano morabatur, eas per Furnium demum aut fortasse etiam per Atticum accepit, eas a Curione arcanorum consiliorum patroni sui haud ignaro ideoque Pompeianorum simplicitatem ac fiduciam irridenti iam nonnullis diebus ante, quam L. Caesar Capua reverteretur, Arimino datas esse manifestum sit.

[37]) Cf. Plut. Pomp. 60; *Ὡς δὲ πρῶτον ἡ φήμη* (Ariminum occupatum esse) *προσέπεσε καὶ κατέσχε τὴν Ῥώμην μετὰ ἐκπλήξεως θόρυβος*

supra exhibuimus, ordinem ante oculos proposueris, iam non dubium erit tibi, quin nulla res tantum valere potuerit ad commutandos Pompeianorum animos paulo ante superbia, insolentia, odio Caesaris tumentes, ad terrorem omnibus belli acerrime parandi ducibus principibusque iniciendum, ad propulsanda denique illa vana somnia Pompei suis legionibus Caesaris manum in vestigio temporis deleturum se esse gloriati, quantum id, quod circiter a. d. III (vel pridie) Idus Ianuarias necopinato Romam allatum est, Caesarem inimicos suos praevenisse eorumque minas irritas facturum Rubicone traiecto iam occupavisse Ariminum (a. d. VI vel V Idus Ianuar.). Eo nuntio necopinato oppressum Pompeium adductum esse, ut cum Caesare de pace agere institueret, quis est qui non concedat? Magno enim opere miror, quomodo Langio in mentem venerit contendere [38]), Pompeium non prius, quam ex urbe discessisset, misisse Ariminum, qui sua mandata ad Caesarem perferrent. At discessus ex urbe a. d. XIV et XIII Kalendas Februarias factus est! At Roscius et L. Caesar

---

καὶ φόβος οἷος οὔπω πρότερον, εὐθὺς μὲν ἡ βουλὴ φερομένη πρὸς τὸν Πομπήϊον συνέτρεχε κ. τ. λ. — App. II, 36: *ἥ τε ἄλλη βουλή, παρὰ δόξαν αὐτοῖς ὀξείας τῆς ἐσβολῆς τοῦ Καίσαρος γενομένης, ἐδεδοίκεσαν ἔτι ὄντες ἀπαράσκευοι, καὶ σὺν ἐκπλήξει μετενόουν οὐ δεξάμενοι τὰς Καίσαρος προκλήσεις, τότε νομίζοντες εἶναι δικαίας ὅτε σφᾶς ὁ φόβος ἐς τό εὔβουλον ἀπὸ τοῦ φιλονείκου μετέφερεν. τέρατά τε αὐτοῖς ἐπέπιπτε πολλὰ καὶ σημεῖα οὐράνια· αἷμά τε γὰρ ἔδοξεν ὁ θεὸς ὗσαι, καὶ ξόανα ἱδρῶσαι, καὶ κεραυνοὶ πεσεῖν ἐπὶ νεὼς πολλούς, καὶ ἡμίονος τεκεῖν· ἄλλα τε πολλὰ δυσχερῆ προεσήμαινε τὴν ἐς ἀεὶ τῆς πολιτείας ἀναίρεσίν τε καὶ μεταβολήν. εὐχαὶ δὲ ὡς ἐπὶ φοβεροῖς προυγράφοντο, καὶ ὁ δῆμος ἐν μνήμῃ τῶν Μαρίου καὶ Σύλλα κακῶν γιγνόμενος ἐκεκράγει Καίσαρα καὶ Πομπήιον ἀποθέσθαι τὰς δυναστείας ὡς ἐν τῷδε μόνῳ τοῦ πολέμου λυθησομένου, Κικέρων δὲ καὶ πέμπειν ἐς Καίσαρα διαλλακτάς.* De ipsa legatione L. Caesaris et Roscii neque Appianus nec Plutarchus mentionem faciunt summae brevitati servientes.

[38]) Lange, Röm. Alterth. III, 401.

Ariminum missi inde iam a. d. XII Kal. Febr. profecti sunt atque a. d. VIII Kal. Febr. Teanum pervenerunt! Vides igitur, quam perversa sit illa sententia Langii quamque abhorreat ab iis, quae scriptores tradiderunt. Neque enim dubitari posse mihi videtur, quin illi pacis internuntii, cum Ariminum advenissent, et rei mandatae quam diligentissime persequendae et sui ex itineris laboribus reficiendi causa in Caesaris castris commorati sint aliquot dies, nescio an totidem, quot postea commorati sunt apud Pompeianos Teani et Capuae (i. e. triduum; nam ex a. d. VIII usque ad a. d. VI Kalend. Februar. eos in illis oppidis fuisse supra vidimus). Ex quo efficitur, statim nuntio de Caesaris incursione Romam circiter a. d. III vel pridie Idus Ianuarias allato eos missos esse Ariminum de pace acturos.

Sed tamen res ad concordiam adducta non est. Quod praecipue Caesari in culpam convertendum esse eo magis mihi persuasum habeo, quo pluribus splendidioribusque verbis eum in commentariis suis se pacis amantissimum, at contra Pompeium iniquissimum insolentissimumque fuisse affirmare video. An scriptori talia affirmanti fidem habendam esse existimas, cum plane perspicuum sit, eum in ipso adventu legatorum exponendo a veritate deflectere? Quid enim aliud quam historiam depravat, qui rem ita enarrat, ut cum Caesarem priorem, non Pompeium de pace agere coepisse, tum huius mandata privati officii similia non tam ad levandas iniurias reconciliandamque gratiam quam ad Pompeium Caesari insulse purgandum pertinuisse credas? Pompeiusne senatusque ut excusationes ad Caesarem paraturi Ariminum miserint duos legatos? L. Caesar ut confecto demum reliquo sermone cum Caesare tamquam obiter collocutus sit de Pompei mandatis? Roscius praetor, praetor inquam, ut easdem nugas garriverit, quas L. Caesarem garrientem fingit Caesar?[39]) — Sed satis de hoc. Accedamus iam ad ea, quae ipse

---

[39]) Caes. I, 8, 2—4: „Eo [i. e. Ariminum] L. Caesar adulescens

Caesar legatis respondit mandavitque ad Pompeium perferenda. Ac primum quidem ille aptissime de rebus Romae actis praefatus omnesque iniurias a senatu sibi illatas conquestus est, deinde lenioribus verbis usus etiam tum ad omnia se descendere paratum atque omnia pati reipublicae causa dixit. Quamobrem se proponere: „Proficiscatur Pompeius in suas provincias, ipsi exercitus dimittant, discedant in Italia omnes ab armis, metus e civitate tollatur, libera comitia atque omnis respublica senatui populoque Romano permittatur. Haec quo facilius certisque condicionibus fiant et iureiurando sanciantur, aut ipse propius accedat aut se patiatur accedere; fore, uti per colloquia omnes controversiae componantur“ (I, 9). Huic Caesaris orationi adiungamus etiam, quae insequenti commentariorum capite narrantur: „Acceptis mandatis, inquit Caesar, Roscius cum Caesare Capuam pervenit ibique consules Pompeiumque invenit: postulata Caesaris renuntiat. Illi deliberata re respondent scriptaque ad eum mandata per eos mittunt; quorum haec erat summa: Caesar in Galliam reverteretur, Arimino excederet, exercitus dimitteret; quae si fecisset, Pompeium in Hispanias iturum. Interea, quoad fides esset data, Caesarem facturum, quae polliceretur, non intermissuros consules Pompeiumque delectus“ (I, 10). Propter ea Pompeianorum postulata vehe-

---

venit, cuius pater Caesaris erat legatus. Is reliquo sermone confecto, cuius rei causa venerat, habere se a Pompeio ad eum privati officii mandata demonstrat: Velle Pompeium se Caesari purgatum, ne ea, quae reipublicae causa egerit, in suam contumeliam vertat. Semper se reipublicae commoda privatis necessitudinibus habuisse potiora. Caesarem quoque pro sua dignitate debere et studium et iracundiam suam reipublicae dimittere neque adeo graviter irasci inimicis, ut, cum illis nocere se speret, reipublicae noceat. Pauca eiusdem generis addit cum excusatione Pompei coniuncta. Eadem fere atque eisdem verbis praetor Roscius agit cum Caesare sibique Pompeium commemorasse demonstrat“.

menter se iratum simulans Caesar subsequenti capite: „Erat iniqua condicio, inquit, postulare, ut Caesar Arimino excederet atque in provinciam reverteretur, ipsum et provincias et legiones alienas tenere; exercitum Caesaris velle dimitti, delectus habere; polliceri se in provinciam iturum neque, ante quem diem iturus sit, definire, ut, si peracto consulatu Caesaris non profectus esset, nulla tamen mendacii religione obstrictus videretur. Tempus vero colloquio non dare neque accessurum polliceri magnam pacis desperationem afferebat" (I, 11, 1—3). — Haec hactenus Caesar. Cuius narrationem si cum iis contuleris, quae in Ciceronis epistolis de iisdem rebus leguntur, alterum scriptorem cum altero non tam in Caesaris, quam in Pompei condicionibus describendis vehementer discrepare cognosces. Illius enim mandata Cicero, etsi in primo puncto temporis ira elatus ea simulata, astuta, absurdissima nominat et Pompeianorum eludendorum tantum causa data esse dicit (ad Att. VII, 13 b, 2), similiter tamen atque ipse Caesar exposuit, cum in epistola paucis diebus post ad Tironem data: „feruntur, inquit, omnino[40]) condiciones ab illo [i. e. a Caesare], ut Pompeius eat in Hispaniam, delectus, qui sunt habiti, et praesidia nostra dimittantur; se ulteriorem Galliam Domitio, citeriorem Considio Noniano— his enim obtigerunt — traditurum; ad consulatus petitionem se venturum, neque se iam velle absente se rationem haberi suam; se praesentem trinum nundinum petiturum" (ad fam. XVI, 12, 3). — At contra de Pompeianorum responsis Cicero plane contraria dicit Caesaris verbis. Illa enim intuens, quamquam interdum pro inconstantia sua animum despondet (cf. ad Att. VII, 17, 2), saepius tamen tanto gaudio affectum tantaeque fiduciae plenum se ostendit, ut sperare se ac confidere dicat, mox arma togae cessura omnesque in pace

---

[40]) Nescio an tibi probem magis convenire legere „Arimino", quam „omnino".

victuros esse (ad Att. VII, 14, 1: cf. ad Att. VII, 15, 3); nam quamvis ea Pompeianis non honesta (ad famil. XVI, 12, 4) sed turpis sit (ad Att. VII, 18, 1; cf. 15, 3: „sed accipienda plaga est“) atque a Caesare tamquam lex imponatur (ad fam. XVI, 12, 4; ad Att. VII, 15, 2), se tamen non desistere eam suadere commendareque, quod etiam iniusta pax sibi utilior videatur, quam iustissimum bellum cum civibus (ad Att. VII, 14, 3). E Pompei mandatis per litteras ad Caesarem perlatis posse intellegi, tantum abesse, ut huic quicquam negetur, ut contra omnibus eius postulatis plene satisfactum esse omniaque ei cumulate dari videri debeat; quae nisi acceperit Caesar, amentissimum eum fore, praesertim cum ipse ea voluerit et Pompei responsa grata populo et probata contioni sint (ad Att. VII, 17, 2 et 18, 1); neque illum in eo offendere oportere, quod Pompeiani postulaverint, ut de iis oppidis, quae extra suam provinciam occupaverit, deducat praesidia, ut sine metu senatus in urbem redire atque rem Romae conficere possit (ad fam. XVI, 12, 3; ad Att. VII, 14, 1).

Sed tamen Ciceronem spes fefellit. Eam ipsam condicionem, quam Pompeiani aequissimam esse iudicarunt, Caesar repudiavit atque in commentariis suis, ut supra commemoravimus, ut durissimam conquestus est. At quo iure? Nonne ipse prior postulaverat, ut omnes in Italia ab armis discederent, ut metus e civitate tollendi causa ipse et Pompeius exercitus dimitterent? Quomodo autem respublica metu liberari potuit, dum ille ad depugnandum paratus instructusque cum exercitu expedito extra provinciam suam in Italiae finibus consederat omnibusque civibus caedem minitabatur? Quid igitur iniquitatis fuit in ea condicione, qua Pompeiani tutam rationem secuturi postulaverunt, ut Caesar voluntatis fideique suae pignoris dandi causa ex iis oppidis [41]), quae contra

---

41) At contra Caesar parum accurate (I, 10, 3 et 11, 1): „Arimino excederet“. Quae indiligentia scriptoris cum ex iis pendeat, quae

ius fasque occupavisset, praesidia removeret? Quod autem senatus Romam redire voluit: quo loco, quae de pace ad id agi coepta erant, melius atque, ut ita dicam, magis legitime confici potuerunt, quam in urbe, imperii domicilio? An id postulatum ab eo abhorruit, quod ipse Caesar proposuerat his verbis (I, 9, 6): „aut ipse [i. e. Pompeius] propius accedat aut se patiatur accedere?" — Itaque dubium esse non potest, quin tantum afuerit, ut Pompeiani illa condicione lata tegerent aliquod dolosum consilium, ut omnia in pristinum restituere atque ex legibus componere vellent. Nonne ipse Cicero in epistola ad Atticum scripta (VII, 15, 3) sibi persuasum esse dicit, acceptis condicionibus reque ad concordiam adducta Caesarem, cum consul factus sit, victurum esse, et minore scelere victurum esse, quam quo in Italiam invaserit? Quid? quod idem scriptor eodem loco de iis, quae Capuae acta erant, uberius locutus totumque senatum atque adeo obstinatum Catonem pacis desiderio flagrare professus: „omnes cupiebant, inquit, Caesarem abductis praesidiis stare condicionibus iis, quas tulisset; uni Favonio leges ab illo nobis imponi non placebat, sed is haud[42]) auditus in consilio. Cato enim ipse iam servire quam pugnare mavult, sed tamen ait in senatu se adesse velle, cum de condicionibus agatur, si Caesar adductus sit, ut praesidia deducat" (ad Att. VII, 15, 2). — Nonne hic in unoquoque verbo et Ciceronis et ceterorum Pompeianorum mentes pacis cupidissimae spirare videntur? Nonne eundem animi sensum idemque ingenium placabile apertissime exprimunt etiam haec, quae sequuntur, verba? „In disputationibus nostris, inquit Cicero (l. c. § 3), summa varietas est: plerique negant Caesarem

---

superioribus capitibus non servato temporis ordine exposita erant (I, 8—9.—cf. 11—14), tum omnino Caesarem etiam in definiendis Pompei condicionibus a veritate deflexisse significat.

[42]) Sic enim cum codice Cratandrino (C in editione Wesenbergii, quam semper secutus sum) legendum esse censeo.

in condicione mansurum postulataque haec ab eo interposita esse, quo minus, quod opus esset ad bellum, a nobis pararetur; ego autem eum puto facturum, ut praesidia deducat; vicerit enim, si consul factus erit, et minore scelere vicerit, quam quo ingressus est". — Itaque cum universus senatus eo illis diebus animo esset affectus, ut vel turpissimam pacem servitutemque bello anteponeret, fieri non potuisse, ut Pompeius praeter unam illam condicionem, quam aequissimam fuisse supra demonstravimus, etiam alias easque iniquas Caesari ferret, quis est, qui neget? An Pompeianos impetu, quo Caesar in Italiam invaserat, territos tam stultos amentesque fuisse existimas, ut ultima illius postulata per L. Caesarem et Roscium perlata, quamvis ea lenia, grata, exoptata, insperata essent, tamen eadem tantum condicione probarent reciperentque, qua non multis diebus ante lata inimicum suum maxime ad bellum impulerant et incitaverant — eam dico condicionem (cf. Caes. I, 2, 7 et 11, 1—2): uti (ante certam diem) Caesar solus aut saltem prior exercitum dimitteret? — Immo enim vero Ciceronem potissimum secuti Pompei responsorum hanc fere fuisse summam statuemus: Omnes Caesaris condiciones a senatu libenter accipi, ea tamen lege necessaria, ut ille ex omnibus oppidis, quae in Italiae finibus violata populi Romani maiestate infeste occupavisset, praesidia removeret eoque fidem daret se, quae pollicitus esset, facturum atque ius suum non, ut ad id, armis, sed legibus persecuturum esse. Quo facto Pompeium in Hispanias profecturum, senatum autem in urbem rediturum esse, ut in domicilio imperii sine metu initia pacis ad finem perducturus et quasi exaedificaturus cum ceteras condiciones accuratius definiret, tum decerneret, ante quem diem exercitus a Caesare in Gallia, a Pompeio in Hispania dimittendi essent. Iis dimissis Caesari liberum fore consulatum petere.

Haec igitur fere Pompeianorum responsa fuerunt. De quibus conqueri non potuisse nisi hominem iniustum, suspiciosum, eum denique, qui cum non bona fide, sed simulate et

ficte de pace egisset, tum subito praeter opinionem et voluntatem adversarios ad omnia concedenda promptos inveniret, satis apparere mihi videtur. Quod Caesari accidisse contendere non cunctor. Nam etsi incertis rumoribus ad Ciceronem perlatis (ad Att. VII, 17, 2 et 18, 2), quibus ille inter ipsas de pace actiones acerrime in bello apparando occupatus esse dicebatur, non plenam fidem tribuere debemus, tamen Caesaris animi imaginem tamquam in speculo expressam cognoscere possumus in eo, quod Curio, eius familiarissimus, L. Caesare et Roscio cum Caesaris mandatis Teanum Capuamque profectis totam legationem eorum irrisit (ad Att. VII, 19. — cf. notam 36). Itaque cum ii Ariminum reversi Caesarem certiorem fecissent, omnes eius condiciones a Pompeianis acceptas esse ita, ut ex Italiae oppidis praeter ius occupatis praesidia deducerentur, ille hoc obsequio minime contentus, ne suis sibi postulatis nimis lenibus stare necesse esset, belli speciem quaesiturus illa Pompeianorum condicione, qua in suam provinciam redire iuberetur, maximum scrupulum sibi inici, immo vero acerbissimam iniuriam inferri dixit. Quod in commentariis suis etiam magis coloravit illi uni condicioni alias affingens, quas a senatu neque latas esse neque ferri potuisse supra vidimus. Quod autem Caesar Pompei conveniendi potestatem sibi factam non esse conqueritur, eam concedere senatus suo iure veritus, ne illi inter se colloquti suo nomine atque arbitrio rempublicam constituerent, et suae dignitatis et pacis cura vetitus erat [43]). Itaque Caesar omnia sorsum deorsum versat, cum eo, quod sibi tempus colloquio datum non sit, magna pacis desperatione se affectum atque ad bellum renovandum impulsum esse dicit.

---

[43]) Confer Dionis verba (XLI, 5, 3): *τοῦτο μὲν οὐχ ἡδέως οἱ πολλοὶ ἤκουσαν, δείσαντες μὴ καὶ κατὰ σφῶν τι σύνθωνται.* Reliqua fere omnia, quae a Dione de his rebus narrantur, propter perturbatum in iis dierum ordinem paene nulli usui esse supra commemoravimus.

Renovato bello (circiter Kalendas Febr.) Caesar longius progressus cum exercitu victore omnem agrum Picenum percurrit atque a. d. XVI Kalendas Martias [44]) ad Corfinium, quod Domitius praesidio tenebat, pervenit. Supervacaneum esset, haec omnia uberius exponere, nisi de una re, ac quidem de copiarum a Pompeianis in illas regiones coactarum numero summa inter omnes fere scriptores maximeque inter Caesarem, Ciceronem, Pompeium discrepantia extare videretur. Quod eo magis mirandum est, quo minus dubitari potest, quin nullius eorum interfuerit falsa dicere.

Colligamus igitur omnia, quae ab iis de hac re diversis locis traduntur, ponamusque ea sub uno aspectu:

De copiarum Pompeianarum et Corfinium et in vicina ei oppido loca coactarum numero haec tradunt

Cicero:	Pompeius:	Caesar:
In epistola ad Atticum (VII, 24) a. d. III Idus Februarias data Cicero scribit Domitium habere	Ante diem IV Idus Februarias Pompeius certior factus est Domitium cum suis cohortibus duo-	Secundum Caesaris narrationem (I, 15, 3—6) Vibullius et Lentuli militibus et Hirri cohortibus

[44]) Is dies facile colligi potest ex Ciceronis epistolis cum Caesaris narratione rerum Corfiniensium collatis. Ille enim Caesarem a. d. IX Kalendas Martias (Feralibus) a Corfinio recepto profectum (ad Att. VIII, 14, 1 et IX, 1, 1), hic septem omnino dies ad id oppidum commoratum se esse dicit (I, 23, 5).

Non indignum est hic commemorare nuntios regionum peritos, qui Caesaris adventu eognito statim a Domitio magnis propositis praemiis cum litteris ad Pompeium Luceriam missi erant auxilium petitum (cf. Caes. I, 17, 1), iis a. d. XIII Kalendas Martias huic redditis (cf. ad Att. VIII, 12 D, 1) pridie demum, quam Domitius se tradidit, (i. e. a. d. X Kal. Mart.) Corfinium revertisse (cfr. Caes. I, 18, 6—20, 1) ideoque sex dies in illa re conficienda consumpsisse.

4

vix tria milia militum. — Is numerus mox et manu Vibullii, qui cum initio ad Pompeium properare voluisset (ad Att. VII, 24), postea (nescio an ab eo iussus) cum Domitio se coniunxerat, et ipsius Domitii delectibus (ad Att. VIII, 1, 1) ita auctus est, ut is postremo triginta cohortes haberet (ad Att. VIII, 7, 1).

decim [45]) et cum cohortibus quattuordecim a Vibullio adductis ad ipsum contendere, Hirrum autem cum quinque cohortibus subsequi voluisse (Cic. ad Att. VIII, 11 A). — Paullo post Pompeius ad consules scripsit, Domitium et suas cohortes duodecim et reliquas cohortes undeviginti (id est quattuordecim cohortes Vibullii et quinque cohortes Hirri) Corfinii, Albae, Sulmone ita distributas habere, ut eas expedire non posset (Cic. ad Att. VIII, 12 A, 1. — cf. § 3).

quinque [46]), quae Camerino fugiebant, acceptis et novis delectibus institutis omnino tredecim cohortes contraxit atque cum iis ad Domitium Corfinium pervenit. — Domitius per se circiter XX cohortes Alba et Marsis et Pelignis, finitimis ab regionibus coegerat. (I, 15, 7). — Eo tempore, quo Corfinium a Caesare oppugnabatur, Domitius amplius triginta cohortes habebat (I, 17, 2). —

Sulmonem Lucretius et Attius septem cohortium praesidio tenebant; quas Caesar postea cum suo exercitu coniunxit (I, 18, 1 et 4. — cf. Oros. VI, 15, 4). — Sex cohortes, quarum praesidio L. Manlius praetor Albam tenuerat, Corfinio demum expugnato discesserunt (Caes. I, 24, 3).

Quas rationes si diligentius inspexerimus, eas magis de singulis numeris, quam de eorum summa inter se discrepare videbimus. Itaque fieri non potest, quin periclitemur, si etiam illas discrepantias explicare atque expedire possimus. Nam

45) Sic enim pro „undecim" legendum esse in Pompei epistola (ad Att. VIII, 11 A), satis constat (cf. ad Att. VIII, 12 A, 1).

46) Codices (I, 15, 5) exhibent: „Hirrum cum sex cohortibus". Quem numerum depravatum esse atque commutandum in „quinque", cum ex Pompei epistolis (Cic. ad Att. VIII, 11 A et 12 A, 1), tum ex omnium calculorum infra subductorum summa efficitur.

sin aliter, Caesari minor habenda esset fides quam Pompeio (et Ciceroni). — Ac Goeler quidem („Bürgerkrieg zwischen Caesar und Pompeius") rationem iniit subduxitque, neque tamen de re recte iudicasse mihi videtur. „Domitius, inquit, hatte zu Corfinium zuerst nur 12 Cohorten (Cic. 8, 12) stehen, nach Alba aber aus den Gebieten der Marser, Peligner etc. 19 Cohorten zusammengezogen. Von diesen 19 Cohorten hatte er sodann 6 zu Alba gelassen (unter Manlius — cf. Caes. I, 24, 3), 7 nach Sulmo verlegt (unter Attius — cf. Caes. I, 18, 1), 6 aber nach Corfinium gezogen.

Bei Corfinium waren daher vereinigt: 12+6=18 Cohorten, +13 Cohorten des Vibullius [Caes. I, 15, 5], also im Ganzen 31 Cohorten oder rund drei Legionen".

Quae ratio, etsi cum iis, quae a Caesare (I, 17, 2) et a Cicerone (ad Att. VIII, 7, 1) traduntur, plane consentit, tamen reicienda est propterea, quod, cum Pompeius (Cic. ad Att. VIII, 11 A. — cf. VIII, 12 A, 1) planissime dicat ex illarum cohortium XIX numero quattuordecim Domitio adductas esse a Vibullio, Goeler copias Vibullii (—secundum Caes. I, 15, 5: tredecim cohortes—) annumerat illis XIX cohortibus itaque eas bis in rationem inducit. Neque Goeler in eo offendisse videtur, quod Pompeius Vibullii cohortibus (XIV) et Hirri (V) coniunctis undeviginti cohortes effectas esse dicit, Caesar autem eas tredecim fuisse tradit.

Itaque hanc tantum rationem veram esse iudico:

Lentulus Spinther, cum Caesaris adventu cognito cum decem cohortibus Asculo profugeret, in itinere magna parte militum desertus cum paucis incidit in Vibullium, qui illo tempore, ut Pompeius et Cicero saepius commemorant, delectuum habendorum causa in Piceno finitimisque regionibus commorabatur. Is Lentulo dimisso parvaque eius manu excepta paullo post etiam quinque cohortes Hirri Camerino fugientis excepit et effectis hoc modo tredecim cohortibus magnis itineribus ad Domitium Corfinium pervenit (Caes. I, 15, 3—6). Iam vero ex eo, quod Pompeius Vibullii cohor-

tes quattuordecim, Hirri quinque, (coniunctas undeviginti) fuisse dicit, apparet illum, priusquam se cum Hirro coniungeret et Corfinium contenderet, ex delectibus suis sex cohortes in aliquem alium locum coniecisse. Quem Albam Fucentiam fuisse facile concedes, si ex eo oppido postea L. Manlium cum sex cohortibus profugisse memineris (Caes, I, 24, 3). Deductis igitur quinque cohortibus Hirri de totis copiis (XIII cohortibus), quae Vibullio duce Corfinium pervenerunt, reliquae sunt octo cohortes; quibus si addamus sex cohortes Albae relictas, efficiuntur quattuordecim cohortes Vibullii; qui numerus plane convenit cum eo, quem Pompeius tradidit.

Secundum Caesarem (I, 15, 7) Domitius circiter viginti cohortes Alba et Marsis et Pelignis, finitimis ab regionibus coegerat; Pompeius autem eum initio duodecim tantum cohortes habuisse dicit (Cic. ad Att. VIII, 11 A). Quae discrepantia, quamvis prima specie gravis videatur, facile tamen explicari potest. Nam cum Pompeius, cui a. d. IV Idus Februarias per Q. Fabium de rebus Corfiniensibus Luceriam allatum erat, in litteris suis eodem die ad Ciceronem datis Domitium, Vibullium, Hirrum collatis viribus Corfinio ad ipsum properare voluisse professus ne uno quidem verbo mentionem faciat earum septem cohortium, quas paucis diebus post Sulmonem oppidum seque ipsos invitis Lucretio et Attio ducibus Caesari tradidisse scimus (Caes. I, 18, 1—3), satis manifestum esse mihi videtur, eas copias a Domitio post VII (vel VI) Idus Febr. demum coactas atque in oppidum Sulmonem coniectas esse, ita ut Q. Fabius de iis nihil cum Pompeio communicare posset [47]). At contra Caesar,

[47]) Q. Fabium circiter a. d. VII Idus Febr. Corfinio profectum esse facile concedes, si ex Pompei epistolis (apud Cic. ad Att. VIII, 12 C, 1; D, 1. — cf. notam 44) cognoveris etiam alios nuntios a Domitio missos illis temporibus non celerius quam triduo Luceriam pervenisse. — Iis, quae supra exposuimus, minime repugnant Pompei litterae (ap. Cic. ad Att. VIII, 12 A, 1), in quibus consules certiores

cum iam Corfinio appropinquaret, de his omnibus rebus certior factus est atque optimo iure septem illas cohortes Sulmone collocatas, quod oppidum a Corfinio septem tantum milium intervallo abesset (Caes. I, 18, 1), duodecim cohortibus Corfiniensibus annumerare totumque exercitum ab ipso Domitio coactum undeviginti (vel „circiter viginti") cohortium fuisse dicere potuit.

Iam meministi paucis diebus ante, quam Corfinium a Caesare oppugnaretur, eo pervenisse Vibullium et Hirrum cum tredecim cohortibus. Quas si addas ad duodecim cohortes Domitii, in ipso Corfinio tum viginti quinque omnino cohortes iunctas esse apparet. Neque is numerus discrepat ab eo, quod Domitius exercitibus Caesaris circumventus (a. d. XVI Kalendas Martias) ad Pompeium scripsit, nisi sibi auxilium latum esset, „se cohortesque amplius XXX magnumque numerum senatorum atque equitum Romanorum in periculum

---

facit Domitium et suas XII et Vibullii Hirrique XIX cohortes Corfinii, Albae, Sulmone ita distributas habere, ut eas expedire non possit. Nam etsi ei epistolae dies ascriptus non est, tamen ex alia, quam Pompeius eodem tempore ad Domitium misit (apud Cic. ad Att. VIII, 12 B, 1), efficere possumus, et hanc et illam aut uno die aut biduo post Q. Fabii adventum datas esse, id est iis diebus, quibus Pompeius nihildum de ultimis rebus ad Corfinium gestis comperisset — (aut a. d. III aut pridie Idus Febr.). — Quod Cicero ad Atticum scribit (ad Att. VIII, 7, 1) Domitium triginta cohortes habere, ea epistola inter VII et V Kalendas Martias data est, id est compluribus diebus ante epistolam VIII, 12 pridie Kalendas Martias ad Atticum cum adiunctis illis Pompei litteris (VIII, 12 A) missam. Ex quo efficitur, tantum afuisse, ut Cicero illo tempore scire posset septem cohortes recens a Domitio contractas et Sulmone collocatas esse, ut secundum antiquiores nuntios tantum duodecim cohortes Domitii et undeviginti Vibullii Hirrique in rationem inducens Corfinii XXX (vel potius XXXI) cohortes fuisse putaret etiam hoc ignorans ex quattuordecim cohortibus ipsius Vibullii sex Albae collocatas esse.

esse venturum" (Caes. I, 17, 2 — cf. Cic. ad Att. VIII, 12 D, 1). Nam per se intellegitur, fieri non potuisse, quin Domitius, cum paullo ante, ut modo demonstravimus, septem cohortes Lucretio senatore et Attio ducibus Sulmonem coniecisset idque oppidum a Corfinio septem tantum milia passuum distaret, earum quoque copiarum rationem haberet atque, nisi Pompeius auxilio venisset, una cum Corfinio et viginti quinque cohortibus ibi collocatis etiam septem cohortes Sulmonenses amissum iri existimaret. Quod eum rectissime iudicasse, ipse eventus rerum docuit. Tantum enim afuit, ut illae cohortes praesidium suum contra Caesarem defenderent, ut iam compluribus diebus ante, quam Corfinium traderetur, M. Antonio sua sponte portas aperirent seque dederent (Caes. I, 18, 1—3). — Itaque dubitari non potest, quin Domitius in numerum earum copiarum, quas in summo discrimine esse Pompeio scripsit, comprehenderit septem cohortes Sulmonenses [18]). Eas enim si addimus ad viginti quinque cohortes ipso Corfinio collocatas, efficiuntur triginta duae, vel, ut Domitii verbis utar, „amplius triginta cohortes". Eundem numerum traditum invenimus apud Plutarchum et Orosium, quorum ille Livio (vel Livii epitomatore) auctore usus: [Caesar] „tres legiones, inquit, quae cum Domitio apud Corfinium morabantur, ad partes suas traduxit" — hic Asinium Pollio-

---

18) Sed ne quis mihi opponat, a Domitio in numerum cohortium periclitantium, si comprehensae essent septem cohortes Sulmonenses, comprehendi debuisse etiam sex cohortes Albae collocatas: cum hae copiae non Domitii, sed Vibullii, vel potius Pompei erant, tum iis nondum impendebat periculum, primum quod Caesar secundum mare iter faciebat et Corfinio appropinquabat, deinde quod Alba multo longiore spatio, quam Sulmo, aberat ab illo oppido. Itaque factum est, ut C. Manlius expugnato demum Corfinio et Caesare per fines Marrucinorum, Frentanorum, Larinatium iam longius progrediente (cf. Caes. I, 23, 5) cum suis sex cohortibus Alba discederet (Caes. I, 24, 3).

nem secutus: „*Δομετίῳ δὲ*, inquit, *ἡγουμένῳ σπειρῶν τριάκοντα καὶ κατέχοντι Κορφίνιον ἐπελθὼν παρεστρατοπέδευσεν*“ [*ὁ Καῖσαρ*][49]).

Hac igitur ratione numerum copiarum Pompeianarum in oppido Corfinio finitimisque ei regionibus collocatarum subtiliter executi cum viderimus Caesarem in iis rebus exponendis diligentissimum fuisse, iam pergamus ad reliqua et omissis iis, quae ille cum ceteris omnibus scriptoribus in summis rebus congruens de Corfinii obsidione ac deditione enarrat[50]), accedamus ad res ad Brundisium gestas.

---

[49]) Oros. VI, 15, 4; Plut. Caes. 34. — Notum est, apud Plutarchum voce *σπεῖρα* non, ut apud Polybium, manipulum, sed cohortem significari (cf. Pomp. c. 62).—Diiudicare non audeo, utrum *τετρακισχίλιοι* illi, qui apud Appianum (II, 38 init. — cf. II, 32 extr.) traduntur, lectione depravata nitantur, an, quae indiligentia est huius scriptoris, ad numerum copiarum Domitii recentibus delectibus atque Vibullii Hirrique cohortibus nondum auctarum, id est ad duodecim illas cohortes Domitii a Pompeio saepius commemoratas pertineant.

[50]) Quod Caesar in commentariis suis (I, 23, 4) dicit, totam pecuniam, quam Domitius Corfinium advexisset atque in publico deposuisset, ei a se redditam esse, haec res etsi a Cicerone aliena verba vanissimosque rumores temere subsecuto negatur (ad. Att. VIII, 14, 3) plane et aperte tamen his verbis Appiani comprobatur: *ὁ δὲ* [i. e. *Καῖσαρ*] *τὴν μὲν στρατιὰν αὐτοῦ* [i. e. *τοῦ Δομιτίου*] *προστιθεμένην οἱ προθύμως ἐδέχετο ἐς ἐρέθισμα τῶν ἄλλων, Δομίτιον δ᾽ αὐτὸν ἀπαθῆ μετὰ τῶν ἑαυτοῦ χρημάτων μεθῆκεν ὅποι βούλοιτο ἀπιέναι, ἐλπίσας μὲν ἴσως διὰ τὴν εὐποιίαν παραμενεῖν, οὐ κωλύσας δ᾽ ἐς Πομπήιον ἰόντα* (App. II, 38. cf. II, 41: *καὶ τοῖς ἐχθροῖς ἐνσημαινόμενος φιλανθρωπίαν εἶπεν* [*ὁ Καῖσαρ*] *ὅτι καὶ Λεύκιον Δομίτιον ἑλὼν ἀπαθῆ μεθείη μετὰ τῶν χρημάτων*). Ipse Cicero non multo post illam quam supra attulimus, epistolam ad Atticum a. d. VI Nonas Martias datam, quae in ea de Domitii pecunia a Caesare ei non reddita narrasset, falsa fuisse comperisse videtur, cum in litteris duobus mensibus post ad Atticum datis de rebus Romae actis locutus Caesa-

Iam circiter a. d. V Kalendas Martias Pompeius Brundisium pervenerat (Cic. ad Att. IX, 10, 8. — cf. VIII, 9, 4)[31]). Ut pecudes, quae dispulsae sui generis sequuntur greges, sic assectatores eius impetu Caesaris territi eodem confugiebant.

---

rem multitudini odiosissimum esse scribat, quod ille in instituto suo minime steterit et „duarum rerum simulationem tam cito amiserit, mansuetudinis in Metello, divitiarum in aerario“ (ad Att. X, 8, 6). Scilicet Appianus, cum praeclari illius facinoris causam ex Caesaris prudentia et calliditate repetit, rem rectius explicat, quam ipse Caesar, qui magnificis verbis usus se ideo tam clementem fuisse gloriatur, „ne continentior in vita hominum quam in pecunia fuisse“ videretur. Quae verba plane ridicula esse, facile concedes, si ex eis, quae infra dicemus, cognoveris, per quantam vim Caesar paullo post Romae aerarium expilaverit quamque ingeniose ea res in commentariis dissimulata sit. — Sed ut ad res Corfinienses revertamur, hoc Caesari vix vitio vertendum esse censeo, quod in commentariis de clementia sua atque liberalitate, qua re vera eum et cum ipso oppido (cf. Caes. I, 21, 2) et cum adversariis suis (cf. Caes. I, 22, 3—6; 23, 3—4) usum esse reliqui fere omnes scriptores (cf. imprimis App. II, 38 et 41; Vell. Paterc. II, 50, 1; Sueton. div. Iul. 34; Dio XLI, 11, 3; Liv. epit. 109; Balbus (apud Cic., ad Att. VIII, 15 A, 3), cet.) tradunt, praedicare non desinat (cf. etiam eius epistolam paullo post deditionem Corfinii ad Oppium et Balbum missam: apud Cic., ad Att. IX, 7 C). Nam etsi dubitari non potest, quin Caesar ad illam clementiam non tam caritate generis humani et amore pacis, ut ipse praetendit, quam prudentia et rationibus suis adductus sit, tamen ea de se praedicatio, dummodo ne simul ipsae res aut dissimulentur aut depraventur, non nimis reprehendenda mihi videtur in eo scriptore, qui historiam rerum suarum hac mente scripserit, ut confecto bello civili sibi gratiam populi Romani reconciliaret.

31) Caesar cum in aliis rebus exponendis tum hoc quoque loco ab temporum erroribus parum cavens: „Pompeius, inquit (I, 24, 1), his rebus cognitis, quae erant ad Corfinium gestae, Luceria proficiscitur Canusium atque inde Brundisium“. Nam cum Corfinium, ut supra

Tota Italia patebat inimico; nullo loco ei resistebatur; omnia raptim atque turbate agebantur. Iamque eo res adducta erat, ut nulla spes salutis restare videretur, nisi Italiam desererent et bellum in alias terras transferrent. In commentariis suis Caesar facere non potest, quin illam perturbationem trepidationemque Pompeianorum saepius oblique perstringat (cf. imprimis I, 14), suis autem rebus gestis glorietur. Neque eum in eo reprehendendum esse censeo. Numquam enim ullum aliud bellum gloriosius illatum, turpius defensum est. Eo magis autem hoc Caesari est vitio vertendum, quod adversariorum suorum errores irridere non satishabet, sed iis etiam maiorem invidiam adducturus nonnulla enarrat, quae aut iniqua aut falsa esse ex reliquis scriptoribus colligi potest. Nam ut hoc omittam, quod ille delectum Campanorum colonorum a Pompeianis optimo iure institutum odiosissimis verbis commemorat[52]): haec multo graviora sunt, quae Caesar de gladiatoribus suis Capuae collocatis tradit, quaeque ab historiae fide plane abhorrere Cicero, rei spectator et testis, in epistola Capua a. d. VI Kalendas Februarias ad Atticum data (VII, 14, 2) diserte ostendit his verbis: „Gladiatores Caesaris, qui Capuae sunt, de quibus ante ad te falsum ex A. Torquati litteris scripseram, sane commode Pompeius distribuit binos singulis patribus familiarum. Scutorum in ludo IↃↃ fuerunt: eruptionem facturi fuisse dicebantur. Sane multum in eo rei publicae provisum est“. At contra Caesar (I, 14, 4—5): „gladiatoresque, inquit, quos ibi [i. e. Capuae] Caesar in ludo habebat, ad forum productos Lentulus spe libertatis confirmat atque his equos attribuit et se

---

(nota 44) demonstravimus, a. d. IX Kalendas Martias a Caesare occuparetur atque Pompeius de ea re post tres demum dies certior fieri posset, is iam a. d. IX Kalendas Martias Canusio profectus est (cf. Cic. ad Att. VIII, 14, 1).

[52]) Caes. I, 14, 4: „delectumque colonorum, qui lege Iulia Capuam deducti erant, habere instituunt“.

sequi iussit; quos postea monitus ab suis, quod ea res omnium iudicio reprehendebatur, circum familias conventus Campaniae custodiae causa distribuit". Ac ne quis mihi opponat Caesarem, cui certiora non essent allata, illos rumores subsecutum esse, quos de hac re dissipatos esse cum per se verisimile sit tum ab ipso Cicerone [53]) significetur: ea excusatio nulla est eoque minus valere potest, quod ex altera epistola Ciceronis (ad Att. VIII, 2, 1) apparet, Caesari ab eo statim omnem rem, quemadmodum se habuisset, per litteras ordine enarratam esse [54]). Itaque dubitari non potest, quin Caesar non per errorem, sed consulto et cogitate a veritate deflexerit ac quidem ad eam rem, ut L. Lentulum, qui ei variis de causis odiosissimus erat, obliquis orationibus carperet. Quae fuerint illae causae, non alienum erit hoc loco exponere. Ac quidem Cicero (ad Att. VIII, 9, 4; 11, 5; 15 A, 2 — cf. ad famil. X, 32, 3) tradit Caesarem periclitatum esse, si Lentulum consulem magnorum praemiorum promissis ad suam causam perducere et commovere posset, ut in urbem rediret; eo consilio Balbum minorem ab eo cum litteris missum occulta via Brundisium contendisse. Neque tamen Caesari aut illo tempore [55]) aut postea contigit, ut

---

53) l. c.: [de gladiatoribus Caesaris] „ante ad te falsum ex A. Torquati litteris scripseram."

54) Parum subtiliter introspexit intellexitque commentarios, si qui Caesarem bellum gerentem omnia facta in iis ut in ephemeridibus per dies ita descripsisse putat, ut quae semel in chartam coniecisset, postea, etiam si quid certius ei allatum esset, iam neque corrigere neque emendare posset.

55) Nescio an Pompeius Caesarem cum Lentulo clam agere certior factus sit ac propterea perfecerit, ut consules quam celerrime cum magna parte exercitus Dyrrhachium proficiscerentur. *Προέπεμψεν* [*ὁ Πομπήιος*], inquit Cassius Dio [XLI, 12, 1], *ἄλλους τε καὶ τοὺς ὑπάτους, μὴ καὶ νεοχμώσωσί τι κατὰ χώραν ὑπομείναντες.* — Propterea etiam potest, ut Balbus Brundisium perveniens consules iam

inimicum suum emeret; cuius rei causam huius immodica postulata fuisse, ex iis colligi potest, quae apud Velleium Paterculum II, 51, 3 memoriae prodita invenimus. Ita factum est, ut Caesar summo odio Lentuli ardere coepisset. Scilicet in commentariis ne uno quidem verbo conatus sui frustra capti mentionem fecit; prudentissime enim cavit, ne ipse bucinator esset eiusmodi factorum suorum, quae de suae causae honestate magnam populo Romano dubitationem afferre possent. At eo magis commentarii abundant sententiis obliquis, quibus Caesar odium suum profundit in Lentulum (cf. imprimis I, 2, 5; 4, 2; 6, 7 (cf. notam nostram 18); 14, 1; alibi). In quo eum ne veritum quidem esse a veritate deflectere (I, 14, 4—5) modo demonstravimus.

Frustra Caesar, ut ait Suetonius (div. Iul. c. 34), per omnes moras consules et Pompeium Brundisio exire prohibere conatus est. Quae fuerint illae morae, cum ex iis, quae de Balbo ad Lentulum cum Caesaris mandatis misso diximus, tum ex his cognosci potest, quae iam de pacis condicionibus a Caesare paullo post Pompeio latis disceptaturi sumus. Atque ille quidem ad id Brundisium iter faciebat iamque non procul aberat ab eo oppido: cum ad eum deprehensus ex itinere N. Magius Cremonensis, praefectus fabrum Cn. Pompei, reducitur. Quem Caesar hominem idoneum nactus, per quem ea, quae vellet, ad Pompeium perferrentur, Brundisium cum his mandatis dimittit: „quoniam ad id tempus facultas colloquendi non fuerit, atque ipse Brundisium sit venturus, interesse reipublicae et communis salutis, se cum Pompeio colloqui; neque vero idem profici longo itineris spatio, cum per alios condiciones ferantur, ac si coram

---

profectos repererit. Quamquam id minus veri simile est, cum hos a. d. IV Nonas Martias conscendisse (cf. Cic. ad Att. IX, 6, 3), Balbum Brundisium currentem a. d. VI Kalendas Martias vesperi apud Ciceronem in Formiano fuisse (cf. ad Att. VIII, 9, 4) compertum habeamus.

de omnibus condicionibus disceptetur“ (Caes. I, 24, 5—6).— Quam mansueta sunt haec omnia verba! Quam suaviter ad aures accidunt imprimis haec: „quoniam... ipse Brundisium sit venturus“! Tamquam si Caesar ideo tantum Brundisium profectus sit, ut occasionem cum Pompeio colloquendi reperiret! Re vera longe aliter se habuisse hanc rem ex ipsius Caesaris litteris eodem tempore datis (apud Cic., ad Att. IX, 7 C) facile perspici potest. In quibus (§ 2) ille Oppium et Balbum, quos per totum bellum civile cum eo coniunctissimos consiliorum eius societate fuisse idque semper spectavisse notum est, ut patroni sui causae gratiam populi Romani conciliarent, de rebus suis certiores faciens: „N. Magium, inquit, Pompei praefectum, deprehendi: scilicet meo instituto usus sum et eum statim missum feci. Iam duo praefecti fabrum Pompei in meam potestatem venerunt et a me missi sunt: si volent grati esse, debebunt Pompeium hortari, ut malit mihi esse amicus quam iis, qui et illi et mihi semper fuerunt inimicissimi, quorum artificiis effectum est, ut res publica in hunc statum perveniret“. Ne uno quidem verbo hic mentio fit illorum mandatorum, quae Caesar Magio ad Pompeium perferenda se dedisse in commentariis dicit. Quod valde mirandum esse concedes, praesertim cum, quae in iisdem litteris (§ 1) antecedunt, verba consideraveris: „Consilio vestro [i. e. Oppii et Balbi], inquit Caesar, utar libenter, et hoc libentius, quod mea sponte facere constitueram, ut quam lenissimum me praeberem et Pompeium darem operam, ut reconciliarem. Tentemus, hoc modo si possumus omnium voluntates recuperare et diuturna victoria uti, quoniam reliqui crudelitate odium effugere non potuerunt neque victoriam diutius tenere praeter unum L. Sullam, quem imitaturus non sum. Haec nova sit ratio vincendi, ut misericordia et liberalitate nos muniamus: id quemadmodum fieri possit, nonnulla mihi in mentem veniunt et multa reperiri possunt. De his rebus rogo vos ut cogitationem suscipiatis“.— Quomodo Caesar omnium se existimationi satis facturum ma-

gis sperare potuit, quam si statim ostendisset, non Pompeianos, sed se semper ab integro de pace agere coepisse et quacumque ratione rem ad otium deducere conari? Quis autem haec melius praedicare populoque Romano perpetuo proponere potuit, quam Oppius et Balbus in ipsa urbe commorantes Caesarisque rationibus prospicientes? Quid est igitur, cur Caesar in litteris ad hoc viros missis generatim atque universe de clementia sua et de Magio et Vibullio a se dimissis [56]) locutus hoc unum addat, se sperare, eos gratos fore Pompeiumque hortaturos esse, ut malit ipsi esse amicus quam senatui? Quid denique hoc putemus esse, quod Caesar alio commentariorum loco (I, 26, 2) Magium a Pompeio ad se remissum non esse conquestus verbo „remitti“ utatur, in litteris autem eodem tempore ad Balbum et Oppium datis (apud Cic., ad Att. IX, 13 A, 1) haec scribat: „misit [Pompeius] ad me N. Magium de pace; quae visa sunt, respondi“? — Eas quaestiones proponentibus nobis atque reputantibus Caesarem, quo minus in epistolis mentiri potuisset, eo magis adduci debuisse, ut postea in commentariis belli civilis culpam in Pompeium collaturus seque populo Romano purgaturus saepius a veritate deflecteret, iam dubium esse non potest, quin Magius a Caesare captus et dimissus nulla de pace mandata ab eo ad Pompeium perferenda acceperit ideoque ea res in commentariis depravata, in epistolis vere narrata sit [57]).

---

[56]) Rectissime Manutius (ad Cic., ad fam. II, 17, pag. 201) coniectura collegit Vibullium Rufum fuisse alterum Pompei praefectum a Caesare in illa epistola ad Oppium et Balbum data (ad Att. IX, 7 C, 2) commemoratum. Confer Caes. de bell. civ. I, 34, 1 (I, 15, 4—6; I, 23, 3); I, 38, 1; III, 10, 1.

[57]) Etsi diiudicare non possumus, quibus ex fontibus Plutarchus ea hauserit, quae in Pompei vita (cap. 63) exposita sunt, hoc tamen apparet, eum auctore suo indiligentissime usum omnium rerum ordinem ita perturbasse (cf. not. 23) easque ita coartasse, ut dubitari non

Paullo post, quam Caesar Magium dimiserat, ipse Brundisium pervenit (a. d. VII Idus Martias — cf. Cic. ad Att. IX, 13 A, 1) et praeter spem consules cum magna parte exercitus Dyrrhachium profectos reperit. Quod ei acerbissimum fuisse, ex eo intellegitur, quod cum alii scriptores tum Cassius Dio (XLI, 12, 1) et Florus (II, 13) eius maxime interfuisse tradunt, ut bellum in Italia conficeret. Neque tamen adduci possum, ut sententiam plerorumque huius aetatis scriptorum secutus Caesarem tam parvi aestimem, ut eum propter illam rem animo demissum atque sincera fide ad pacem componendam annixum esse credam. Nam etsi ipse in commentariis se etiam illo tempore rem ad concordiam adducere conatum esse gloriatur, re vera tamen eum per simulationem tantum atque eo consilio de pace egisse, ut spatium intercederet, dum Pompeium circumvallare exituque prohibere posset, et Cicero et alii scriptores plane et aperte ostendunt [58]). Quam ridicula igitur est illa praescriptio, qua Caesar consilia sua tegens: „Atque haec [i. e.

---

possit, quin Magii mandata ab eo commemorata (c. 63: *Ἑλὼν γὰρ Νουμέριον Πομπηίου φίλον ἀπέστειλεν εἰς Βρεντέσιον ἐπὶ τοῖς ἴσοις ἀξιῶν διαλλαγῆναι)* intellegenda sint ea, quae Caesar ad Pompei condiciones per illum sibi allatas (cf. ad Att. IX, 13, 8 et 13 A, 1) responderit.

[58]) Cicero (ad Att. IX, 13, 8): „Pompeius N. Magium de pace misit, et tamen oppugnatur“.... „Spem autem pacis habeo nullam: Dolabella suis litteris Idibus Mart. datis merum bellum loquitur“. — (ad Att. IX, 14, 2): „Ubi est illa pax, de qua Balbus scripserat torqueri se? ecquid acerbius, ecquid crudelius?“ (cf. § 1). — (ad Att. IX, 9, 2): „discessu enim illorum [i. e. consulum] actio de pace sublata est“.—Cassins Dio (XLI, 12, 2): *ἰδὼν δὲ [ὁ Καῖσαρ] τὸ δυσάλωτον τοῦ χωρίου προεκαλέσατο αὐτὸν* [i. e. *τὸν Πομπήιον*] *ἐς συνθήκας ὡς καὶ τὴν εἰρήνην τήν τε φιλίαν ἀπολη ψόμενον.*—Suetonius (div. Iul. 34): „hos [i. e. consules et Pompeium] frustra per omnis moras exitu prohibere conatus“ cet.—Plutarchus (Pomp. 63): *Ἐδήλωσε δὲ Καῖσαρ ἔργῳ σφόδρα φοβούμενος τὸν χρόνον.*

opera], inquit, Caesar ita administrabat, ut condiciones pacis dimittendas non existimaret; ac tametsi magnopere admirabatur, Magium, quem ad Pompeium cum mandatis miserat, ad se non remitti, atque ea res saepe temptata etsi impetus eius consiliaque tardabat, tamen omnibus rebus in eo perseverandum putabat" (Caes. I, 26, 2). — Quanta discrepantia extat inter haec Caesaris verba atque ea, quae idem in epistola ad Oppium et Balbum data (apud Cic., ad Att. IX, 13 A, 1) faciens: „Pompeius, inquit, est Brundisii: misit ad me N. Magium de pace; quae visa sunt respondi" (cf. Cic. ad Att. IX, 13, 8)! Hofmann quidem (ad Caes. I, 26, 2) eam discrepantiam ita explicare conatur, ut verisimile esse dicat Magium a Caesare captum atque Brundisium dimissum cum Pompei mandatis ad eum revertisse eiusque responsis ad illum perlatis in oppido retentum pacis internuntium esse destitisse. Sed tamen Hofmannii explicatio parum ad ea, quae quaerimus, proficere difficultatique minime mederi mihi videtur. Nam fac Magium a Pompeio ad Caesarem postremo remissum non esse, cuius rei varias fuisse causas existimo [59])— hoc Caesari utique vitio vertendum est, quod in commentariis omnino Magium cum mandatis ad se revertisse negat itaque legentes in eam opinionem adducit, ut etiam tum per Pompeium stetisse videatur, quominus omnes de pace actiones felicem exitum haberent.

Raro duo adversarii aeque contenderunt laboraruntque ac Caesar et Pompeius, ut alter alterum deciperet et falleret. Velut lupus ovem segregatam et dolo et vi capere, illa eadem

[59]) Verisimillimum est Pompeio, cum iam in eo esset, ut cum reliqua parte exercitus a Brundisio proficisceretur, nullum tempus fuisse Magii iterum cum mandatis remittendi. Neque eum fugit, quin Caesar paci se servire simulans id unum ageret, ut ipsum demoraretur exituque prohiberet. Denique Pompeio persuasum erat, quod consules abessent, sine illis non posse agi de compositione (Dio XLI, 12, 2.—Cic. ad Att. IX, 9, 2.—Caes. I, 26, 5).

ratione se defendere studet, sic Caesar Pompeium et belli et pacis machinationibus opprimere, Pompeius eum effugere conatus est. Ac mehercule magnam habeo dubitationem, utri eorum in ea re praemium deferam [60]). Nam et Caesar summa cum arte Brundisium oppugnavit et Pompeius non minore defendit. Tamen hic ad extremum adventu navium Dyrrhachio remissarum superior factus a. d. XVI Kalendas Apriles [61]) sub noctem cum omnibus copiis profectus est.

Caesar postero mane (i. e. a. d. XV Kal. Apr.) in oppidum ingressus tamen inopia navium coactus est, ut in praesentia Pompei sequendi bellique in Graeciam transferendi rationem omitteret. Itaque classem comparari Brundisiumque deduci iussit, ipse in Hispaniam proficisci constituit.

Quo minus autem se absente Italia a Pompeianis temptari posset, et urbanas res prius sibi componendas et Siciliam Sardiniamque in potestatem suam redigendas esse existimabat. Quarum rerum efficiendarum causa sine mora ad urbem contendit atque Valerio et Curioni mandavit, ut ille Sardinia, hic cum legionibus duabus Sicilia potiretur (Caes. I, 30, 2).

Quibus rebus enarratis Caesar (I, 30, 4): „Cato, inquit, in Sicilia naves longas veteres reficiebat, novas civitatibus imperabat. Haec magno studio agebat. In Lucanis Bruttiis-

---

60) Plut. Pomp. 63 init.: „*Οἱ μὲν οὖν ἄλλοι τοῦ Πομπηίου τὸν ἀπόπλουν ἐν τοῖς ἀρίστοις τίθενται στρατηγήμασιν*“ *κ. τ. λ.*

61) Secundum priorem rumorem, qui de Pompei profectione ad Ciceronem allatus est, ille iam Idibus Martiis a Brundisio conscendit (ad Att. IX, 14, 3). Sed paullo post Cicero per Matium et Trebatium certior factus est Pompeium a. d. XVI Kalendas Apriles profectum esse, Caesarem postero die in oppidum introisse (ad Att. IX, 15, 6). — Itaque in Plutarchi vita Pompei, cap. 62, legendum esse censeo „*ἡμέρᾳ δὲ τρισκαιδεκάτῃ*“ (*ιγ'*) pro „*ἡμέρᾳ δὲ τρίτῃ*“ (*γ'*). Plutarchus enim numerum dierum inter consulum et Pompei profectionem interiectorum iniens tredecim dies efficit (cf. not. 55).

que per legatos suos civium Romanorum delectus habebat, equitum peditumque certum numerum a civitatibus Siciliae exigebat. Quibus rebus paene perfectis adventu Curionis cognito queritur in contione sese proiectum ac proditum a Cn. Pompeio, qui omnibus rebus imparatissimis non necessarium bellum suscepisset et ab se reliquisque in senatu interrogatus omnia sibi esse ad bellum apta ac parata confirmavisset. Haec in contione questus ex provincia fugit". — (I, 31, 1): „Nacti vacuas ab imperiis Sardiniam Valerius, Curio Siciliam cum exercitibus eo perveniunt". — Secundum hanc Caesaris narrationem occupatio Siciliae attribuenda esse videtur Curioni. At contra Appianus eam Pollioni attribuens (II, 40): „*Ἀσίνιός τε Πολλίων*, inquit, *ἐς Σικελίαν πεμφθείς, ἧς ἡγεῖτο Κάτων, πυνθανομένῳ τῷ Κάτωνι πότερα τῆς βουλῆς ἢ τοῦ δήμου δόγμα φέρων ἐς ἀλλοτρίαν ἀρχὴν ἐμβάλλοι, ὧδε ἀπεκρίνατο* „*ὁ τῆς Ἰταλίας κρατῶν ἐπὶ ταῦτά με ἔπεμψεν*". *Καὶ Κάτων μὲν τοσόνδε ἀποκρινάμενος, ὅτι φειδοῖ τῶν ὑπηκόων οὐκ ἐνταῦθα αὐτὸν ἀμυνεῖται, διέπλευσεν* (*ἐς Κέρκυραν καὶ*) *ἐκ Κερκύρας ἐς Πομπήιον*". Similiter Plutarchus (Cato minor c. 53): „*πυθόμενος δὲ* [*ὁ Κάτων*], inquit, *Ἀσίννιον Πολλίωνα παρὰ τῶν πολεμίων ἀφῖχθαι μετὰ δυνάμεως εἰς Μεσσήνην ἔπεμψε λόγον ἀπαιτῶν παρ' αὐτοῦ τῆς διαβάσεως. Ἀνταπαιτηθεὶς δὲ λόγον ὑπ' ἐκείνου τῆς τῶν πραγμάτων μεταβολῆς, καὶ Πομπήιον ἀκούσας ἐκλελοιπότα παντελῶς Ἰταλίαν ἐν Δυρραχίῳ στρατοπεδεύειν, πολὺν ἔφη περὶ τὰ θεῖα πλάνον εἶναι και ἀσάφειαν, εἰ Πομπήιον ἐν οἷς ὑγιὲς οὐδὲν οὐδὲ δίκαιον ἔπραττεν ἀήττητον γενόμενον νῦν, ὅτε τὴν πατρίδα βούλεται σώζειν καὶ τῆς ἐλευθερίας ὑπερμάχεται, προλέλοιπε τὸ εὐτυχεῖν. Ἀσίννιον μὲν οὖν ἔφη δυνατὸς εἶναι Σικελίας ἐκβαλεῖν, ἄλλης δὲ μείζονος ἐπερχομένης δυνάμεως οὐ βούλεσθαι τὴν νῆσον ἐμπολεμῶν ἀπολέσαι, χωρεῖν δὲ πρὸς τὸ κρατοῦν καὶ σώζεσθαι παραινέσας Συρακουσίοις ἐξέπλευσεν*".

Quibus Appiani et Plutarchi verbis cum Caesaris narratione collatis cum plerique huius aetatis scriptores adducti sint, ut Caesarem ob aliquam causam Pollioni iratum cumque eo

distractum eius res gestas Curioni falso attribuisse putent, facere non possum, quin pluribus verbis in hac re commorer ac magnopere mirer, quomodo tam inepta coniectura illis interpretatoribus in mentem venerit.

Atque ego quidem illam discrepantiam, quae inter Caesarem, Appianum, Plutarchum extare videatur, facile explicari et expediri posse iudico. Scilicet nobis cavendum est, ne Eyssenhardtium aliosque secuti ea, quae a Caesare (I, 25, 2) de Domitianis cohortibus protinus a Corfinio in Siciliam missis traduntur, ad ea revocemus, quae Appianus et Plutarchus (l. c.) de Pollione narrant. Tantum enim abest, ut ex illo commentariorum Caesaris loco cum iis scriptoribus collato colligi possit, Pollionem protinus a Corfinio (una cum militibus Domitii) in Siciliam profectum esse, ut Appianus (Asinio auctore usus) plane et aperte tradat, eum Brundisio demum occupato eodemque tempore missum esse, quo Valerius in Sardiniam proficisci iussus sit. Cum Appiano autem plane consentit Plutarchus (eodem Asinio auctore usus). Secundum eius enim narrationem Cato, ubi primum Pollionem Messanam advenisse cognovit, legatos ad eum misit, qui traiectus in Siciliam rationem ab eo reposcerent. Quibus cum ille se Pompeio a Brundisio Dyrrhachium profecto domini Italiae iussu venire respondisset, Cato provinciam suam relinquere et ad maiorem partem exercitus Pompeianorum se conferre constituit. — Num quid aliud ex his Plutarchi verbis effici potest nisi hoc, Asinium Pompeio demum Italia expulso in Siciliam missum esse eoque paullo ante Catonis profectionem advenisse? Quem a. d. VIII Kalendas Maias ex provincia discessisse Cicero per Curionem certior factus ad Atticum scripsit (ad Att. X, 16, 3). Sed haec hactenus de Pollione, veniamus nunc ad Curionem.

Atque Caesar, ut supra commemoravimus, Brundisii occupatione narrata: [Caesar] „misit, inquit, in Siciliam Curionem pro praetore cum legionibus II; eundem, cum Siciliam recepisset, protinus in Africam traducere exercitum iubet“

(I, 30, 2). „Nacti vacuas ab imperiis Sardiniam Valerius, Curio Siciliam cum exercitibus eo perveniunt“ (I, 31, 1). „His rebus confectis Caesar.... ad urbem proficiscitur“ (I, 32, 1). — At contra Appianus (II, 41) Curionem eo demum tempore, quo Caesar ad Romam versaretur (i. e. primis diebus mensis Aprilis [62]), ab eo Catoni in Siciliam succedere iussum esse tradidit. Ex Ciceronis autem epistolis intellegitur, Curionem minimum usque ad medium Aprilem mensem in Italia mansisse. Idibus enim duabusque sequentibus diebus in Cumano Puteolisque fuit et cum Cicerone de rebus urbanis sermonem habuit (ad Att. X, 4, 7—10; 5, 2), ex quo apparet eum simul cum Caesare Romae commoratum omnia, quae ibi acta erant, coram vidisse. — Itaque dubitari non potest, quin Caesar eo ordine res enarrans, ut eum Curione demum in Siciliam misso (I, 30, 2) eaque recepta ad urbem profectum esse (I, 32, 1) credas, dierum ordinem contextus rerum servandi causa aliquantulum perturbarit ideoque maior vis tribuenda sit ei, quod idem Catonem Curionis accessu cognito ex provincia fugisse (I, 30, 5) et Curionem eam ab imperio vacuam nactum esse (I, 31, 1) dicit.

Inquirentibus igitur nobis, quidnam causae fuerit, cur Curio tam diu in Italia cunctaretur et post Catonis demum profectionem, id est post VIII Kalendas Maias, in Siciliam perveniret, omnes dubitationes ita posse expelli videntur, ut statuamus Curionem et Valerium, cum iam Brundisii a Cae-

---

62) Cic. in epistola (ad Att. IX, 15, 6) a. d. VIII Kal. Apr. data: „Caesarem... Romam contendisse, velle ante K. esse ad urbem et pauculos dies ibi commorari“. Biduo post (a. d. VI Kal. Apr.) Cicero (ad Att. IX, 17, 1) scribit: [Caesar] „senatum... Kalendis velle se frequentem adesse etiam Formiis proscribi iussit“. — Ad Att. X, 8, 6 (a. d. VI Non. Mai.)... „quippe qui [i. e. Caesar] florentissimus ac novus VI. VII. diebus ipsi illi egenti ac perditae multitudini in odium acerbissimum venerit“ cet. — cf. Caes. I, 33, 4:.. „Caesar frustra diebus aliquot consumptis... ab urbe proficiscitur“.

sare iussi essent Siciliam et Sardiniam occupare, tamen cum eo Romam profectos esse [63]) eo consilio, ut etiam senatus sibi eas provincias decerneret, quas a Caesare accepissent. Hoc enim Caesarem populi Romani gratiam sibi reconciliaturum semper spectavisse constat, ut quamvis dicis causa rei publicae instituta quam plurima integra servaret neve temere leges violaret. Praeterea eius maxime interesse oportuit, ut, dum ipse ad urbem commorans factorum suorum rationem senatui populoque probaret atque res urbanas componeret, eum virum secum haberet, cuius et audacia et ingenio et summa rerum civilium cognitione prudentiaque niti et adiuvari posset. Ita factum est, ut Curio per omnes illos sex septemve dies, quos Caesar ineunte Aprili mense ad urbem moratus est, cum eo esset atque etiam postea, quam ipse ex senatus consulto surrepto sex lictores accepit [64]) et Caesar in Hispanias profectus est, aliis in negotiis versaretur iisque prohiberetur statim se in Siciliam conferre. Quorum negotiorum maximum fuisse satis idoneum numerum navium comparare, quibus Curio sine metu Pompeianorum classis legiones suas in Siciliam atque inde in Africam traducere posset (cf. Caes. I, 30, 2), ex ipsius sermone cum Cicerone in Cumano habito intellegitur (ad Att. X, 4, 9) [65]). Eo accessit, ut ille res Sicilienses non eas esse sciret, quae, ut ipse iam praesens esset atque adesset, exigerent. Nam Cato, etsi initio belli maxima in spe fuerat fore, ut amplae copiae in suam provinciam cogerentur [66]), mox tamen, cum Caesar fulminis

---

[63]) De Valerio cf. App. II, 41; Caes. I, 30, 3: „Caralitani, simul ad se Valerium mitti audierunt, nondum profecto ex Italia sua sponte Cottam ex oppido eiciunt“.

[64]) Confer Cic. ad Att. X, 4, 9.

[65]) Nescio an Curio illius negotii persequendi causa Puteolis ut in celeberrimo et frequentissimo emporio contionatus sit (cf. Cic. ad Att. X, 4, 8).

[66]) Circiter medio Februario mense Pompeius Laelio mandaverat, ut, si consulibus videretur, alteruter eorum cum ea copia, quae Ca-

more in Italiam longius progressus cum multa alia oppida tum Corfinium cepisset, illam spem proicere propriisque viribus id agere et moliri debebat, ut opes suas confirmaret atque provinciam necessitate urgente defendere posset. Quamobrem in Lucanis Bruttiisque per legatos suos civium Romanorum delectus habebat, in Sicilia naves longas veteres reficiebat, novas civitatibus imperabat, equitum peditumque certum numerum ab iisdem exigebat. Neque tamen suo studio multum proficiebat, cum iam in eo esset, ut cohortes Domitianae, quae a Caesare protinus a Corfinio (id est post IX Kalendas Martias) missae erant, Siciliae adventarent. Quo tempore illae eo pervenerint etsi pro certo affirmare non possumus, tamen eas sero admodum transire potuisse fretum Siculum atque circiter ineunte demum Aprili mense ad Messanam classem appulisse, cum ex eo efficitur, quod Cato paullo post earum adventum ac quidem a. d. VIII Kalendas Maias ex provincia fugisse traditur, tum ea docent, quae supra de Asinio Pollione non a Corfinio, sed a Brundisio, id est post XV Kalendas Apriles in Siciliam misso atque cohortium Domitianarum traiectum conficienti disseruimus. Earum igitur adventu cognito Cato, praesertim cum certior factus esset mox etiam Curionem pro praetore cum duabus legionibus esse venturum, ex Sicilia decedere, quam parvas copias suas summo periculo opponere maluit.

Iam omnia, quae adhuc disputavimus, complectentibus nobis dubium esse non potest, quin Asinius Pollio fuerit legatus Curionis ideoque Caesar, etiam si pluribus de occupatione Siciliae dixisset, tamen suo iure omnes res a Pollione auspiciis Curionis ibi gestas huic attribuere potuerit [67]). Atqui

---

puae et circum Capuam comparata esset, et cum Fausti militibus Domitiique duodecim cohortibus in Siciliam proficisceretur (Cic. ad Att. VIII, 12 A, 3; cf. 12 C, 3).

[67]) Itaque Orosius (VI. 15, 7): „Curio Catonem Sicilia expulit, Valerius Cottam Sardinia“. — Cassius Dio (XLI, 41, 1): „Κουρίων

tantum abest, ut id in commentariis faciat, ut Catonem cognito Curionis accessu fugisse atque hunc provinciam ab imperio vacuam nactum esse tradens plane consentiat cum illis Plutarchi (l. l.) verbis: „*Ἀσίννιον μὲν οὖν ἔφη* [i. e. *ὁ Κάτων*] *δυνατὸς εἶναι Σικελίας ἐκβαλεῖν, ἄλλης δὲ μείζονος ἐπερχομένης δυνάμεως οὐ βούλεσθαι τὴν νῆσον ἐμπολεμῶν ἀπολέσαι, χωρεῖν δὲ πρὸς τὸ κρατοῦν καὶ σώζεσθαι παραινέσας Συρακουσίοις ἐξέπλευσεν*“. Minime enim effecerat Pollio, ut Cato ex Sicilia depelleretur. — Itaque prorsus perversa mihi videtur illa Eyssenhardtii sententia („Jahn's Jahrb.“ 1862, vol. 85, p. 755—757), qua Caesarem ob aliquam causam a Pollionis amicitia disiunctum eius res gestas praedicare noluisse, immo Curioni falso attribuisse, Pollionem autem ob eandem causam Caesari iniquum, cum historias suas confecturus esset, severum illud de commentariis iudicium fecisse credit. Quod iudicium cum idem Eyssenhardtius severum quidem, sed tamen rectum iustumque esse concedat, minime ratione intellegere possum, quid sit, quod inter Caesarem et Asinium Pollionem discidium ortum esse opinemur. Immo enim vero ipse Asinius in epistola ad Ciceronem anno ab urbe condita 711 data: „Caesarem vero, inquit, quod me in tanta fortuna modo cognitum vetustissimorum familiarium loco habuit, dilexi summa cum pietate et fide“ (ap. Cic. ad fam. X, 31, 3) [68]). Valerius Maximus (II, 63) autem Asinium proposito firmum et Iulianis partibus fidum fuisse tradit.

δὲ Σικελίαν μὲν ἀμαχὶ παρεστήσατο· ὁ γὰρ Κάτων ἄρχων αὐτῆς, ὡς οὔτε ἀξιόμαχός οἱ ἦν οὔτε τὰς πόλεις ἐς κίνδυνον μάτην ἐμβαλεῖν ἠθέλησε, προεξεχώρησε πρὸς τὸν Πομπήιον“. — Confer etiam Lucan. III, 59 seq.

68) Tum Asinius Pollio pergit: „Quae mea sententia gerere mihi licuit, ita feci, ut optimus quisque maxime probarit; quod iussus sum, eo tempore atque ita feci, ut appareret invito imperatum esse“. Quae verba cum a Pollione post Caesaris mortem republica restituta sui excusandi atque communis libertatis studii sui affirmandi causa

Sed haec hactenus. Satis enim demonstrasse mihi videor, nullam de rebus Siciliensibus, quod eae ad Pollionem et Curionem pertineant, discrepantiam extare inter Appianum Plutarchumque, quorum narratio Asinii historias redolet, et Caesarem neque ullo modo hunc accusari posse, quod in iis rebus exponendis a veritate deflexerit. Hoc unum Caesari vitio vertendum est, quod odium in Catonem profusurus eius profectionem ita enarrat, ut is non vir constans, sed ignavus atque a mente desertus esse videatur, quodque eum ante fugam in contione talia de Pompeio tamquam de proditore et belli non necessarii auctore querentem fingit, qualia dubitari non potest, quin Cato numquam questus sit.

Sed pergamus iam ad reliqua videamusque, quomodo Caesar res ad urbem actas in commentariis describat.

Atque ille Brundisio Romam profectus senatum, ut supra commemoravimus, Kalendis Aprilibus primum coegit eo scilicet animo, ut factorum consiliorumque suorum rationem omnibus probaret atque populi Romani voluntatem sibi conciliaturus omnem culpam belli civilis in Pompeianos conferret. Itaque in senatu orationem habet et „iniurias inimicorum commemorat. Docet se nullum extraordinarium honorem appetisse, sed exspectato legitimo tempore consulatus eo fuisse contentum, quod omnibus civibus pateret. Latum ab X tribunis plebis contradicentibus inimicis, Catone vero acerrime repugnante et pristina consuetudine dicendi mora dies extrahente, ut sui ratio absentis haberetur, ipso consule Pompeio; qui si improbasset, cur ferri passus esset? si probasset, cur se uti populi beneficio prohibuisset? Patientiam proponit suam, cum de exercitibus dimittendis ultro postu-

---

facta sint, vaniora et obscuriora mihi quidem videntur, quam ex quibus quicquam certius colligi possit. Coniecturis enim nihil proficimus ingenuique esse iudico potius aperte confiteri se nescire, quid Pollio significarit, quam eius verba nimis callide interpretari velle.

lavisset; in quo iacturam dignitatis atque honoris ipse facturus esset. Acerbitatem inimicorum docet, qui, quod ab altero postularent, in se recusarent atque omnia permisceri mallent, quam imperium exercitusque dimittere. Iniuriam in eripiendis legionibus praedicat, crudelitatem et insolentiam in circumscribendis tribunis plebis; condiciones a se latas, expetita colloquia et denegata commemorat. Pro quibus rebus hortatur ac postulat, ut rem publicam suscipiant atque una secum administrent. Sin timore defugiant, illis se oneri non futurum et per se rempublicam administraturum. Legatos ad Pompeium de compositione mitti oportere, neque se reformidare, quod in senatu Pompeius paulo ante dixisset, ad quos legati mitterentur, his auctoritatem attribui timoremque eorum, qui mitterent, significari. Tenuis atque infirmi haec animi videri. Se vero, ut operibus anteire studuerit, sic iustitia et aequitate velle superare" (Caes. I, 32, 2—8). — Quam orationem cum appareat non sine ira et studio a Caesare habitam multa continere, quae cum historiae fide parum conveniant, fieri non potest, quin nobis in suspicionem veniat, etiam illa, quae ab eo de voluntate sua legatorum ad Pompeium de compositione mittendorum dicta sint, simulata fucataque esse. Atque Caesar ipse in consequenti capite (I, 33, 1—2) de ea re haec verba facit: „Probat rem senatus de mittendis legatis; sed, qui mitterentur, non reperiebantur, maximeque timoris causa pro se quisque id munus legationis recusabat. Pompeius enim discedens ab urbe in senatu dixerat, eodem se habiturum loco, qui Romae remansissent et qui in castris Caesaris fuissent". — Quam ridicula sit atque vana ea causa a Caesare interposita, supervacaneum est pluribus dicere eoque magis, quod Dione auctore illum in mendacio deprehendere possumus. Nam cum Dio, cuius de fide dubitari nequit, plane dicat (XLI, 16, 4: *οἱ πρέσβεις οἱ τὰς καταλλαγὰς δῆθεν πρυτανεύσοντες ᾑρέθησαν μέν, οὐκ ἐξῆλθον δέ, ἀλλ' ὅτι καὶ ἐμνήσθη ποτὲ περὶ αὐτῶν ὁ Πίσων ὁ πενθερὸς αὐτοῦ αἰτίαν ἔσχε)* legatos delectos esse et per unum

Caesarem stetisse, quominus ex urbe egrederentur [69]), dubium esse non potest, quin omnia illa, quae in commentariis de illius consiliis pacis dicta sunt, verba sint atque ineptiae. Neque ipsi Caesaris aequales fidem ei habuerunt suadenti, ut per interpretes cum Pompeio de compositione ageretur. Nam cum Plutarchus (Caes. 35) tradit: *ὑπήκουσε δ᾽ οὐδείς, εἴτε φοβούμενοι Πομπήιον ἐγκαταλελειμμένον, εἴτε μὴ νομίζοντες οὕτω Καίσαρα φρονεῖν, ἀλλ᾽ εὐπρεπείᾳ λόγων χρῆσθαι,* tum Cicero non modo quod ipse, verum etiam quod plerique de Caesare sentiebant, eloqui mihi videtur in epistola ad Atticum a. d. III Nonas Apriles data haec professus: „mihi omnino non venit in mentem, quae possit actio esse de pace, cum illi [id est: Caesari] certissimum sit, si

---

69) Parum accurate Plutarchus (Caes. 35): „*Ἐπεὶ δὲ καὶ τὴν πόλιν εὗρε [Καῖσαρ] μᾶλλον ἢ προσεδόκα καθεστῶσαν καὶ τῶν ἀπὸ βουλῆς ἐν αὐτῇ συχνούς, τούτοις μὲν ἐπιεικῆ καὶ δημοτικὰ διελέχθη, παρακαλῶν αὐτοὺς καὶ πρὸς Πομπήιον ἀποστέλλειν ἄνδρας ἐπὶ συμβάσεσι πρεπούσαις· ὑπήκουσε δ᾽ οὐδείς, εἴτε φοβούμενοι Πομπήιον ἐγκαταλελειμμένον, εἴτε μὴ νομίζοντες οὕτω Καίσαρα φρονεῖν, ἀλλ᾽ εὐπρεπείᾳ λόγων χρῆσθαι*“. Idem cap. 37: *Ἐπανελθόντα δέ*, inquit, *εἰς Ῥώμην Καίσαρα Πείσων μὲν ὁ πενθερὸς παρεκάλει πρὸς Πομπήιον ἀποστέλλειν ἄνδρας ὑπὲρ διαλύσεως, Ἰσαυρικὸς δὲ Καίσαρι χαριζόμενος ἀντεῖπεν.* Quae Plutarchi verba si cum Dionis narratione comparemus, minime ab ea discrepare videmus, nisi quod ille legatos electos esse commemorare oblitus neglegentius dicat „*ὑπήκουσε δ᾽ οὐδείς*“ significaturus eos ex urbe non esse profectos. — A. d. VII Idus Apriles Cicero ad Atticum (X, 3) scripsit se ex eo scire cupere, „ecqui essent ad Pompeium et ad consules ex senatus consulto de pace legati“. — Itaque cum dubitari non possit, quin re vera multi Pompei timore aliisque de causis mandata ad eum perferre recusarint neque tamen Caesari defuerint, quos mitteret, perspicuum est in commentariis non tam falsa esse illa verba: „maximeque timoris causa pro se quisque id munus legationis recusabat“, quam haec: „qui mitterentur, non reperiebantur“.

possit, exspoliare exercitu et provincia Pompeium — nisi forte iste nummarius ei potest persuadere, ut, dum oratores eant et redeant, quiescat — : nihil video, quod sperem aut quod iam putem fieri posse" (ad Att. X, 1, 3). Idem paullo post (§ 4): „de pace, inquit, idem sentio, quod tu, simulationem esse apertam, parari autem bellum acerrime".

Vix alio commentariorum loco Caesar magis a veritate deflexit, quam hoc, quo de rebus ad urbem a se actis exposuit. Nam postquam longissima, quam supra attulimus, oratione de iniuriis a Pompeianis sibi illatis conquestus suam indulgentiam, clementiam, placabilitatem praedicavit atque senatum falso, ut modo demonstravimus, accusavit, quod per eum stetisset, quominus legati, quos ipse etiam tum ad Pompeium mittere voluisset, eligerentur egrederenturque, his verbis pergit (I, 33, 3): „Subicitur etiam L. Metellus, tribunus plebis, ab inimicis Caesaris, qui hanc rem [id est: rem de mittendis legatis] distrahat reliquasque res, quascumque agere instituerit, impediat". Quae verba cum parum subtilia pressaque, immo vero tecta esse appareat, dubitari non potest, quin Caesar ea hac mente fecerit, ut aliquid dissimularet. Quid hoc fuerit, ex iis, quae ceteri scriptores tradunt, intellegitur.

Atque mihi quidem minime esse verisimile videtur L. Metellum, tribunum plebis, intercessisse, ne legati ad Pompeianos mitterentur [70]. Quo enim consilio eum id fecisse putemus, praesertim cum illi, ut supra demonstravimus iam electi essent? Sed ut eorum profectioni obstiterit, num eius intercessione existimas deterritum esse Caesarem, quem eodem illo tempore alias res neglectis intercessionibus confecisse constet? Immo enim vero perspicuum est, utcumque se illud habuerit, Caesarem nequaquam bona fide de mittendis le-

---

[70]) Tantum enim abest, ut aut Plutarchus aut ceteri scriptores eius rei mentionem faciant, ut ex iis plane intellegi possit Metellum tribunum non intercessisse Caesari nisi aerarium expilaturo.

gatis molitum veritatis parum studiosum esse, cum consilii sui non perfecti culpam in Metellum conferre atque eas res silentio praetermittens, quae non illi, sed sibi ipsi summo verti potuerint vitio, in eum tamquam in hominem turbulentum atque civium concordiae otiique inimicum omnium odium concitare conetur. At contra ceteri fere omnes scriptores Metellum prorsus alium describunt eumque unum fuisse tradunt, qui rei publicae consulens Caesari aerarium expilaturo obsistere auderet. *Ἀντεῖπε μὲν οὖν*, inquit Cassius Dio (LXI, 17, 2), *πρὸς τὴν περὶ τῶν χρημάτων ἐσήγησιν Λεύκιός τις Μέτελλος δήμαρχος, καὶ ἐπειδὴ μηδὲν ἐπέρανε, πρός τε τοὺς θησαυροὺς ἦλθε καὶ τὰς θύρας αὐτῶν ἐν τηρήσει ἐποιήσατο· σμικρὸν δὲ δὴ καὶ τῆς φυλακῆς αὐτοῦ, ὥσπερ που καὶ τῆς παρρησίας, οἱ στρατιῶται φροντίσαντες τήν τε βαλανάγραν διέκοψαν, τὴν γὰρ κλεῖν οἱ ὕπατοι εἶχον, ὥσπερ οὐκ ἐξὸν τισι πελέκεσιν ἀντ᾽ αὐτῆς χρήσασθαι, καὶ πάντα τὰ χρήματα ἐξεφόρησαν.* Similiter Plutarchus (Caes. 35): *Τοῦ δὲ δημάρχου Μετέλλου κωλύοντος αὐτὸν* (id est Caesarem) *ἐκ τῶν ἀποθέτων χρήματα λαμβάνειν καὶ νόμους τινὰς προφέροντος, οὐκ ἔφη τὸν αὐτὸν ὅπλων καὶ νόμων καιρὸν εἶναι· „Σὺ δὲ εἰ τοῖς πραττομένοις δυσκολαίνεις, νῦν μὲν ἐκποδὼν ἄπιθι· παρρησίας γὰρ οὐ δεῖται πόλεμος· ὅταν δὲ κατάθωμαι τὰ ὅπλα συμβάσεων γενομένων, τότε παριὼν δημαγωγήσεις“. „Καὶ ταῦτα“, ἔφη, „λέγω τῶν ἐμαυτοῦ δικαίων ὑφιέμενος· ἐμὸς γὰρ εἶ καὶ σὺ καὶ πάντες, ὅσους εἴληφα τῶν πρὸς ἐμὲ στασιασάντων“. Ταῦτα πρὸς τὸν Μέτελλον εἰπὼν ἐβάδιζε πρὸς τὰς θύρας τοῦ ταμιείου. Μὴ φαινομένων δὲ τῶν κλειδῶν χαλκεῖς μεταπεμψάμενος ἐκκόπτειν ἐκέλευεν· αὖθις δὲ ἐνισταμένου τοῦ Μετέλλου καί τινων ἐπαινούντων, διατεινάμενος ἠπείλησεν ἀποκτενεῖν αὐτὸν, εἰ μὴ παύσαιτο παρενοχλῶν. „Καὶ τοῦτο“, ἔφη, „μειράκιον, οὐκ ἀγνοεῖς, ὅτι μοι δυσκολώτερον ἦν εἰπεῖν ἢ πρᾶξαι“. Οὗτος ὁ λόγος τότε καὶ Μέτελλον ἀπελθεῖν ἐποίησε καταδείσαντα καὶ τὰ ἄλλα ῥᾳδίως αὐτῷ καὶ ταχέως ὑπηρετεῖσθαι πρὸς τὸν πόλεμον* [71]). — Quae res cum

---

71) Confer etiam Plut. Pomp. 62.

etiam ab aliis scriptoribus atque imprimis a Lucano (III, 114—168), Floro (II, 13), Orosio (VI, 15, 5), Appiano (II, 41) quam diligentissime describatur, plane apparet, quam vehementer ea commoverit omnium animos quamque vera sint ea, quae a Cicerone ex sermone cum ipso Curione, Caesari familiarissimo, paucis diebus post illam rem Romae gestam habito in epistola ad Atticum (X, 4, 8) scripta sunt: „plane iracundia elatum voluisse Caesarem occidi Metellum tribunum pl., propius factum esse nihil; quod si esset factum, caedem magnam futuram fuisse: permultos hortatores esse caedis, ipsum autem [Caesarem] non voluntate aut natura non esse crudelem, sed quod popularem putaret esse clementiam; quod si populi studium amisisset, crudelem fore; eumque perturbatum, quod intelligeret se apud ipsam plebem offendisse de aerario, itaque, ei quum certissimum fuisset, antequam proficisceretur, concionem habere, ausum non esse vehementerque animo perturbato profectum“[72]). — Quae cum ita sint, minime esse mirandum censeo, in commentariis Caesarem hanc rem silentio praetermittere atque omnino ea, quae Romae agere conatus sit, ita describere, ut legentes credere possint ipsum nulla consilia agitasse nisi optima humanissimaque atque per unum senatum pervicacem stetisse, quomi-

---

[72]) Confer etiam ea quae Caelius circiter Idus Apriles ad Ciceronem scribit (ap. Cic. ad Att. X, 9 A, 1): „Si existimas eandem rationem fore Caesaris in dimittendis adversariis et condicionibus ferendis, erras: nihil nisi atrox et saevum cogitat atque etiam loquitur: iratus senatui exiit, his intercessionibus plane incitatus est; non mehercules erit deprecationi locus“.—Atque Cicero in epistola ad Atticum a. d. VI Nonas Maias data (X, 8, 6): „nullo enim modo, inquit, posse video stare istum [i. e. Caesarem] diutius, quin ipse per se etiam languentibus nobis concidat, quippe qui florentissimus ac novus VI. VII. diebus ipsi illi egenti ac perditae multitudini in odium acerbissimum venerit, qui duarum rerum simulationem tam cito amiserit, mansuetudinis in Metello, divitiarum in aerario“.

nus ea ad effectum adducerentur [73]). Saepius enim cum adhuc vidimus, tum in reliquis harum quaestionum partibus demonstrabimus iam Caesarem haud ignorasse illud, quod multis saeculis post clarissimus ille Talleyrand posuisse fertur, ita hominem a natura lingua instructum esse atque ornatum, ut, quae cogitet, dissimulare possit. Neque tamen ingenui est hanc rationem suscipere. Quis enim nescit, ut ait Cicero (de oratore II, 62), „primam esse historiae legem, ne quid falsi dicere audeat? deinde ne quid veri non audeat? ne quae suspicio gratiae sit in scribendo? ne quae simultatis?“ Quas historiae leges omnes Caesar neglexit ideoque vehementer est reprehendendus.

---

73) Post illa, quae supra attulimus, verba Caesar hoc modo pergit (I, 33, 4): „Cuius [id est: Metelli] cognito consilio Caesar frustra diebus aliquot consumptis, ne reliquum tempus amittat, infectis iis, quae agere destinaverat, ab urbe proficiscitur atque in ulteriorem Galliam pervenit“. — Etsi ex iis, quae de aerario expilato disputavimus, intellegitur Caesarem non omnibus rebus, quas agere destinavisset, infectis ab urbe profectum esse, tamen dubitari non potest, quin is tum etiam alias res veluti restitutionem lege Pompeia condemnatorum (conf. Cic. ad Att. X, 4, 8) conficere voluerit neque potuerit.

CONTINENTUR HOC LIBELLO:

CORRIGENDA:

Eiusmodi leviores quosdam errores, qui ad interpunctionem potissimum referantur atque a quovis facile deprehendi et corrigi possint, veluti p. 3 v. 16 supra *Stud* pro *Stud.* hoc loco missos faciens, tantum moneo

pag.	*vers.*		*pro:*	*legendum esse:*
8	14	supra	römische	römischen
10	3	„	Asinius	Asinius Pollio Trallianus, Asinii
12	3	infra	loco	loco (div. Iul. 32)
19	10	supra	21	22
19	11	„	22,1	23,1
29	1	infra	Atl.	Att.
41	11	„	*τό*	*τὸ*

Jul 10 19/42